lucrando vos parum ſollicitos intuerer. Etiamſi maria traducere juberemini, ut gratiam hanc quæreretis; etiam ſi præciperet Deus, ut voſmet bonis omnibus exueretis; ut veſtram libertatem, innocuaſque voluptates abdicaretis, ut reliquum vitæ ſpatium jejunaretis; ut in cilicio, & cinere aqua tantum, & pane viveretis, prompto, alacrique animo acceptandæ vobis eſſent omnes iſtæ conditiones, ut integram pœnarum omnium peccatis veſtris debitarum remiſſionem obtineretis. Sed graves adeo pœnitentiæ nequaquam vobis imperantur; multo his minora petuntur; & veniæ facilitas vos non debet impellere, ut ad eam obtinendam omnes conatus veſtros exeratis? Fructus quidem uberrimus eſt, conditiones facillimæ, quid adhuc dubitatis? Ecce hic Jordanis fluit; illumne Jeſu Chriſti cruore intuemini rubeſcentem? Voſmet in illum conjicite, & certus ſum vos lepra mundandos: *Lavare, & mundaberis*. *Idem.*

Jubilæus nequaquam collatus eſt, ut Chriſtiani vitæ ſuæ rationem negligant, vel remittant.

Deus hanc nobis gratiam confert debitas peccatis remittendi pœnas, non ut noſmet in officiis noſtris remittamus, eaque negligamus; non ut in illius bonitate aliquem criminibus noſtris prætextum inquiramus; non ut credendi occaſionem arripiamus ipſum omnia facere, quin aliquid nobis faciendum ſuperſit; ſed illam confert, ut verum læſi nominis dolorem concipiamus, ut infinitę ipſius bonitatis conſideratio ad ſatisfaciendum ejuſdem juſtitiæ nos adigat; ut, ſi minus pœnitentię opera facere poſſimus, ſaltem pœnitentię ſpiritum tueamur. Hinc fit, eos falli, quorum in Jubilæo recipiendo non alia mens eſt, quam iis exonerari pœnis, quas divinę debent juſtitiæ, ut rurſus ſcelerum ſuorum ſtadium repetant, ac recentibus debitis obruantur. Ne erretis, S. Cyprianus ait; Eccleſia plenariam pœnitentibus largitur Indulgentiam, ſed tunc cum illos mœrore confici intuetur eo quod læſerint Deum, an cum paratos videt illi certamini ſubeundo, in quo turpiter cecidere? *Pacem non dormientibus, ſed vigilantibus damus.* Pacem quidem concedimus, at quibuſnam? Non dormientibus, & qui ſoporem, ac ignaviam diligunt; ſed qui vigilant, & qui melius, quam antea ſibimet vigilaturos promittunt. Pacem concedimus; ſed vę nobis, ſi conceſſerimus illam, ut mollitiem foveamus, & peccantium voluptatibus obſequamur; illam hoc tantum fine concedimus, ut iterum, quę abjecerant, ſumptis armis, generoſius quam ante decertent. *Idem, Propoſitione* 3.

Non negligenda eſt adeo propitia occaſio integram, perfectamque peccatorum noſtrorum veniam obtinendi.

Profecto licet hoc tempore non aliud bonum aſſequi poſſemus, niſi noſſe, Dei Filium peccatoribus omnibus recipiendis eſſe diſpoſitum, ac paratum, ut nobis mortis, atque paſſionum ſuarum applicet fructus; ne egeſtatum noſtrarum ſenſus nos deberet impellere, ne adeo præclaram occaſionem e manibus noſtris elabi pateremur. Illud vero magis urgere nos debet, quod in generali hac bonitate hoc præſertim tempore promittit Juſtitię ſuę ſeveritatem ſe remiſſurum; non dico in iis, quę ad peccatorum noſtrorum pertinent culpam, (licet hoc Jubilæi tempore magis, quam alio quovis paratior ſit venię huic concedendę, & ad id illum communes Eccleſię preces magis diſponant, hic nihilominus proprius non eſt effectus Jubilæi: ſemper gratiam hanc obtinere poſſumus ad Pœnitentię Sacramentum accedentes præterquamquod ipſe quoque Jubilæus culpam jam ablatam fuiſſe ſupponit;) ſed id quod proprie operatur, & quod Deus nobis potiſſimum offert, eſt remiſſio pœnarum, quas meriti ſumus, & quas nondum divinę juſtitię perſolvimus; quapropter Indulgentię nomine appellatur. Quod magis noſtris neceſſitatibus ſolatium Salvatoris largitas afferre poterat? Nonne hæc ſatis valida ratio eſt fidelibus omnibus, ut adeo propitia occaſione uti velint? *Biroat in Sermonibus Dominic. Sermone* 1. *de Jubilæo.*

Hujus beneficii magnitudo.

Ecce, o Fideles, in Jubilæo, qui nobis offertur, ratio expiandi peccata noſtra, divinæque juſtitię ſatisfaciendi; & illud ipſum, quod Sanctis viris tanto cruore ſtetit, graviſſimas auſteritates in corpus ſuum exercentibus, illud inquam ipſum nobis mitiſſimis conditionibus exhibetur; dummodo aliquot preces effundamus, aliquot jejunia ſervemus, aliquot erogemus eleemoſynas. Salvatoris ſatisfactiones iis ſupplebunt, quę noſtrę deſunt pœnitentię; ita illius faciemus ſatis juſtitię, atque quidquid huic debemus ad ultimum uſque quadrantem perſolvemus. Nonne noſtra non tangi utilitate palam oſtendimus, ſi adeo propitiam elabi patimur occaſionem? Quid diceres de homine quopiam ære alieno gravato, ac ingentem auri vim debente, cui nunciaretur, omnia a creditore dimitti debita, dummodo aliquot tantum perſolveret obolos? Si debitor hic adeo exiguam æris ſummam creditori ſuo denegaret, nonne jure illum inſipientem diceres, qui adeo pręclaram ęris alieni diſſolvendi occaſionem ſibi evolare pateretur? *Idem.*

Inter Jubilæi fines, eſt obtinere pacem. Quid pro tanto hoc bono faciendum non eſt?

Communis Jubilæorum finis eſt obtinere pacem, quam Deus unus poteſt conferre. Ad id omnes theſauros ſuos aperit Eccleſia, noſtraſque preces efflagitat ad irritati Dei, qui in mortales flagellorum omnium graviſſimo animadvertit, bello videlicet, iram leniendam. Profecto quamvis pacem hanc reſpiceremus tamquam bonum mere temporale, vel politicam felicitatem, nonne teneremur Eccleſiæ votis velificari, ubi illa hoc a nobis depoſceret? Quis noſtrum tot annos propter mala, quæ bellum parit, illacrymatus non eſt, & pacem votis omnibus non expetivit? Omnes boni ſummo dolore confecti ſunt videntes tantum ſanguinis fluere, ac tot hominum vitam immolari. Sed ubi immania ad id infligenda fuere tributa, & hauriendus populorum ſanguis ad belli ſumptus efficiendos, quot in Cœlum emiſſa fuere ſuſpiria, ut hæc pax tantopere concupita obtineretur? Mihi igitur perſuadeo, nihil ulterius requiri, ut veſtra cum Eccleſię votis conſocianda eſſe cenſeatis. Verum Eccleſia non petit pacem ob unum hoc bonum temporale, ſed etiam propter cauſas longe graviſſimas, quę æternum reſpiciunt interitum filiorum ſuorum, cujus bellum ipſum eſt cauſa. Etenim ſi vacat animo repetere cruentam tot bellorum imaginem, quę tot annis Europam affligunt, invenietis funeſtiſſimis præliis Eccleſiam mirum in modum fuiſſe afflictatam. Tot hominum millia in acie cæſa erant Eccleſiæ filii; cruor ille, quo tot agri maduere, cruor erat Fidelis; impetus iidem, qui proſtraverunt oppida, Aras quoque everterunt. Inde vero quonam dolore contabuit videns tot Chriſtianos per horum bellorum occaſionem æternæ morti damnatos? Quomodo illi ſine Sacramentorum uſu exceſſerunt? Quomodo rabiem inter ac deſperationem efflarunt animam? Nonne igitur merito adnititur illa hiſce malis finem imponere, Dei iram ſedare, atque ad id aſſequendum nihil intentatum relinquere? At præſentiſſima, & efficaciſſima hujus boni obtinendi ratio eſt Jubilæus, qui in unum veluti corpus fideles omnes conjungit Dei miſericordiam deprecaturos, ejuſque juſtitię precum, jejuniorum, eleemoſynarum, aliorumque bonorum operum, quę hac mente fiunt, congerie ſatisfacturos. *Idem.*

Privata ſingulorum, & communia Eccleſiæ totius bona pacem ſuadent.

Si privata ſalutis noſtræ, & communia Eccleſiæ bona ex hoc pendent Jubilæo, nonne diligentiſſima cura noſmet ad illum lucrandum debemus diſponere? Ita ſane; quamvis nullam ex precibus, jejuniis, atque eleemoſynis perciperemus utilitatem, cum hæc ratio ſit pacis obtinendæ, concordiæ inter Fideles Principes tuendæ, malis, quæ patitur Eccleſia, obicem afferendi; hæreſis convellendæ, fideique promovendæ; profecto omnibus viribus adnitendum eſſet, ut hunc Jubilæum lucraremur. Opem hanc debemus Eccleſiæ hoc ſolatium depoſcenti, illam debemus Patriæ, totique Europæ de graviſſimis belli calamitatibus conquerenti. Illam nobiſmetipſis etiam debemus; & ſi nondum ſatis boni ſumus, ut piis operibus tantam gratiam conſequamur, ſaltem illi obicem injicere non debemus, atque eo in ſtatu nos conſtituere opus eſt, ut per nos minime ſtet, quominus Eccleſia ea fruatur felicitate, quam cupit, & quam impenſius efflagitat. Væ illis, qui per negligentiam ſuam, vel pravam animi diſpoſitionem nihil ad hunc finem conferunt; ſed multo magis væ illis, qui eidem ſceleribus ſuis adverſantur. *Idem.*

Si hac non utimur occaſione inexcuſabiles ſumus.

Si Jubilæum lucraturis graves diuturnæque nobis imperarentur pœnitentiæ, cilicia, vigiliæ, integrorum annorum jejunia, fortaſſe negligentiam noſtram harum rerum difficultate excuſare poſſemus; ſed quænam ſunt utiliſſimarum harum, Indulgentiarum conditiones? Aliquot dumtaxat eleemoſynæ, eæque ſecundum vires, vel potius voluntatem ſingulorum erogandæ; quorumdam Templorum, immo unius etiam viſitatio; ſatis eſt enim juxta Bullæ verba unicum Templum inviſere; tridui jejunium in una tantum hebdomada, a quo, ſi affecta ſimus valetudine, Confeſſarius diſpenſare nos poteſt: Numquid hæc nimia videantur peccatori, qui poſtquam millies infernum meritus eſt, qui poſt reconciliationem meretur adhuc Purgatorii ſupplicia, & qui juſtiſſime omnibus mundi hujus cruciatibus poteſt torqueri? Numquid non inexcuſabiles ſumus, ſi hanc elabi ſinimus occaſionem non ultra fortaſſe nobis redituram? Eheu! Si miſeris damnatis hæc affulgeret occaſio; ſi Jubilæus, quem hoc in Templo vobis annuntio, ad inferni oſtia prædicaretur, quin

quin non efficerent animæ illę nequam illum lucraturæ? Preces, jejunia, mortificationes; hæc non ſufficiunt ad Dei iram leniendam; ad id omnes cruciatus martyrum ſibi adoptarent. Sed quod illę numquam habituræ ſunt omni ſuppliciorum ſuorum æternitate, hoc nos confeſſionibus noſtris, & Indulgentiarum lucro aſſequi poſſumus, utamur ſolum divina miſericordia, dum præſto eſt, ut nobis pœnas dimittat. Veniet aliquando illa dies, qua nullus erit amplius Jubilæus, indulgentia nulla; & fortaſſe ſi præſentis occaſionem negligimus, aliam quamlibet Deus nobis eſt ablaturus, bonitatis ſuæ contemptum ſubtractione gratiarum ulciſcens, & fortaſſe tandem hic Jubilæus poſtrema erit veſtræ ſalutis occaſio. *Idem.*

Comparatio effectuum Jubilæi, & Baptiſmi.

Sancti Patres pœnitentiam difficilem, moleſtumque Baptiſmum appellant. Baptiſmum imitatur, quia delet peccatum, illudque non ſecus atque hoc Sacramentum remittit. Sed eſt Baptiſmus ſeverus, quia plurima requiruntur jejunia, plurimæque mortificationes, ut effectus ſuos conſequatur. Sed longe mitioribus propoſitis conditionibus per Indulgentiam remittuntur peccata: hæc lenior eſt Baptiſmus, tum quod Jubilæus omnino delet peccata, tum quod ea facile, ac ſine multo labore delet. Quemadmodum in Baptiſmo ad peccata omnia expianda tres tantum aquæ guttæ ſufficiunt cum vero dolore ob patrata ſcelera in eo qui baptizatur; ita ad Jubilæum lucrandum aliquot dumtaxat preces, jejunia, mortificationes ſufficiunt. Itaque dici poteſt pro peccatorum expiatione triplex eſſe Baptiſmatis genus; Aquæ Baptiſma, quod primum eſt Sacramentum Eccleſię, & hoc ſine ulla ſeveritate applicatur; Baptiſma lacrymarum pœnitentium, & hoc cum magnis pœnis, atque auſteritatibus confertur; & Baptiſma gratiæ, quod in Jubilæo, atque Indulgentiis acquiritur. Tertium hoc eſt quoddam veluti inter utrumque temperamentum; habet enim aliquam pœnitentiæ ſeveritatem, nam aliquis dolor, aliquot jejunia, ac mortificationis opera requiruntur; at aliquam habet Baptiſmatis facilitatem, eo quod Deus parum adeo requirit. *Idem.*

In Indulgentia aliquæ in nobis requiruntur ſatisfactiones, quæ Dei ſatiſfactionibus accedant.

In Indulgentia, & Jubilæo preces, & eleemoſynas noſtras Salvatoris meritis, & ſatisfactionibus conſociamus; unde fit, ut quemadmodum exiguus aliquis rivus ſeſe magno alicui fluvio commiſcet, & eodem alveo defluens, hac immixtione, & auxilio facilius in mare fertur, quo fortaſſe numquam pervenire potuiſſet; ſimiliter lacrymæ, ac pœnitentię noſtræ, quæ numquam in Dei ſinum fuiſſent ingreſſę, ſi ſolę fuiſſent, cum Hominis Dei ſanguine permixtę inſtar exigui rivuli cum ingenti flumine magnifice in miſericordię Dei ſinum ferantur, ibi integram criminum noſtrorum remiſionem impetraturæ. *Idem, Sermone* 3.

Quomodo in Indulgẽtia, & Jubilæo Sanctorum ſatiſfactiones cum Filii Dei ſatiſfactionibus conſocientur.
Apoc. 4.

S. Joannes in Apocalypſi ait, ſe vidiſſe *tamquam mare vitreum ſimile cryſtallo*. Mare hoc, o fideles, inexhauſtus eſt meritorum, & ſatisfactionum theſaurus, quem Salvator ſuæ reliquit Eccleſię, ſimilis cryſtallo indeſinenter & Patris, & ſuis oculis exhibens pretium, & dignitatem ſatisfactionum ſuarum, quæ infinita ſcelera valent expiare. Sed quemadmodum mare ſexcentos ſinu recipit exiguos fluvios, qui ibi deſinunt non ex neceſſitate, quia non ideo augetur mare, ſed potius ex quadam indulgentiæ ſpecie, ut ibi recipiantur, ea partem immenſi hujus pelagi conſtituant; unde fit, ut exigua hæc flumina nomen amittant, cum in abyſſum eam ingrediuntur ita Dei Filius in theſauris ſanguinis ſui recipit merita, & ſatisfactiones Sanctorum, quę ad peccatorum expiationem neceſſarię non ſunt; quippe Salvatoris ſatisfactiones ad id ſatis, & ſuper abundant: eaſque recipit non ex neceſſitate, vel ut ſua augeantur merita, ſed quia mirabili bonitati ſuę conſilio hanc patitur Sanguinis, lacrymarumque ſuarum, cum humanis commixtionem, ut mare hoc componatur. Hinc omnes iſtę ſatisfactiones cum Jeſu Chriſti meritis conſociatę nomen ſuum amittunt ſtatim ac abyſſum hanc ingrediuntur, & efficiunt, ut abſolute dicamus hunc eſſe generalem miſericordiarum Salvatoris theſaurum, infinitum hoc ærarium humanis neceſſitatibus offerentis. *Idem.*

Diſcrimen inter eam ſatisfactionem, quæ Deo fit per communem pœnitentiam, & eam, quæ fit per Indulgentiam.

Quemadmodum in miraculoſis curationibus, quas operabatur Deus, repente perfectam reſtituebat valetudinem: ita repente in Indulgentiis peccatum cum debita eidem pœna remittit. Pœnitentia non eſt adeo velox; ſenſim hæc expiat peccata: hodie jejunium unum, cras alterum: hodie una eleemoſyna, perendie altera; lento incedit gradu non ſecus ac conſuetę morborum curationes. Sed in Indulgentiis ſatisfactiones, quas divinę debemus juſtitię, repente fiunt, fiunt enim per applicationem meritorum Salvatoris, & cum Sancto Cypriano dicere poſſumus: *Non per momenta temporis, ſed compendio gratiæ maturantur*. Hoc eſt pœnitentię compendium, quod non expectat temporum intervalla, ſed momento eas perſolvit pœnas, quę plures annos a nobis ferendę fuiſſent. Hinc locupletiſſimum etiam fructum percipimus; nam per Indulgentiam perfecte peccata noſtra expiamus, quod raro accidit pœnitentiæ. Et ratio eſt, quia per partes debitum perſolvendo, numquam integra fit diſſolutio, & ſemper debita recentia contrahuntur. Menſis, exempli gratia, pœnitentię pro mortali peccato requiritur; eſto quidem, ſatis fervens, & Chriſtianus ſim, ut hanc pœnitentiam ad unguem adimpleam; verum cum minime ſim impeccabilis, nova ſubinde peccata, ſaltem venialia, committo. Hæc nova ſunt debita, novę obbligationes, ideoque pro iis, quę committo, peccatis novas ſubire teneor pœnitentias: hęc nova ſunt debita, pro quibus divinę juſtitię non ſatisfeci; ſed Indulgentia, & Jubilæus triduo, ad ſummum quatriduo acquiruntur, & per ea, omnia ex aſſe divinę juſtitię debita perſolvuntur. Nonne hoc incomparabile bonum eſt? *Idem.*

Quo ſpiritu Jubilæum lucrari debeamus.

Cum Jubilæi effectus integra ſit animarum noſtrarum curatio, cumque involvat præteritorum criminum remiſſionem, & peculiarem gratiam, ac illa impoſterum amplius committantur, Jubilæum hunc lucrari debemus duplici hoc ſpiritu, pœnitentię pro præterito, & converſionis pro futuro. Satis non eſt jejunare, orare, eleemoſynas erogare; quemadmodum hæc opera deſtinata ſunt, ut divinę fiat ſatis juſtitię, ut peccatorum noſtrorum venia oretur, & exoretur, ut actiones noſtrę animentur; facienda ſunt in ſpiritu, & veritate, ut verę ſint ſatisfactiones; facienda ſunt in ſpiritu pœnitentię, ut, ſi minus Jubilæus re ipſa pœnitentię habet ſeveritatem; ſaltem habeat ſemina doloris, & pœnitentię. Hac hebdomada incipitis implere conditiones, quę ad Jubileum lucrandum acquiruntur, incipitis jejunare, Templa inviſere, eleemoſynas erogare; at hic tantum cortex eſt, atque extrema ſpecies Jubilæi, hujuſmodi actiones vox efficere oportet cum ſpiritu pœnitentię, cum ſenſu doloris; veluti nocentes, qui læſi numinis contumeliam reparare tenentur, & miſericordiam depoſcunt. Sed ubinam ſigna ſunt hujus ſpiritus pœnitentiæ? Num major videtur in ore modeſtia, minor in veſtibus pompa renidet? an potius videntur Fideles inviſere Templa eodem ſatellitio ſtipari eadem vanitate, eodem luxu ac ſi ad aliquod ſolatium pergerent; preces aliquot feſtinanter, modico fervore, modicaque attentione fundere, leves erogare eleemoſynas, quę ne minima quidem ſunt pars ejus pecuniæ, quam in incertum aleæ jactum committunt; jejunare cum veſpertina refectione, quæ aliis opiparum eſſe poſſet convivium, & quin ullum famis incommodum ſentiant? Et putas hoc eſſe lucrari Jubilæum; hoc eſſe adimplere ea, quæ ad Indulgentiam, criminumque remiſſionem obtinendam præſcribit Eccleſia? Haud ita ſane. Non huic jejuniorum, orationum, & eleemoſynarum generi peccatorum noſtrorum venia, & pœnarum, quæ nobis debentur, remiſſio conceditur, ſi Jubilæi fructum, & bona percipere cupimus. *Idem.*

Jubilæus eſt perfecta reconciliatio cum divina Majeſtate, quæ a nobis læſa fuit.
Pſal. 50.

Cum Jubilæus fidelibus conferatur inſolita divinæ miſericordiæ effuſione, animadvertendum eſt ſecundum Scripturæ ſtylum in Deo quamdam eſſe miſericordiam, quę propter inſigniores ejus effectus magna vocatur: *Secundum magnam miſericordiam tuam*. Divinæ miſericordię idem accidit, quod ingentibus fluminibus, quę ſemper æqua fluctuum ſuorum magnitudine feruntur, ſed quę aliquibus anni tempeſtatibus exundantia proximis agris afferunt ubertatem. Jubilæi autem tempore dicere poſſumus divinę miſericordię in Chriſtianum populum fieri exundationem, & fidelibus gratiarum diluvium afferri. Hic divinę bonitatis fluvius non adlambit ſolum radices arborum, quæ ſecus decurſus aquarum ſitæ ſunt, ut Regius Pſaltes ait; hoc eſt non iis ſolum ſe communicat, qui juſti, ferventeſque ſunt, atque in ipſa fluminis ora conſiti; verum ad nocentiſſimos quoſque ſeſe peccatores effundit, qui ab eodem quam maxime diſtant. *P. Texier. Sermone de Jubilæo.*

INFERNUS.

Pœna Damni , & Pœna Senſus ; Infelix Æternitas &c.

MONITUM.

NOndum aliquod pertractavimus argumentum hoc uberius , amplius , atque difficilius . Omnes Concionatores de Inferno ſermonem aliquem ſunt elucubrati ; neque ſe munere ſuo functos fuiſſe exiſtimaſſent , ſi terribile hoc ſubjectum prætermiſiſſent . De hoc aſcetici omnes loquuntur ; cumque hic ſit ex præcipuis fidei articulis , atque ex iis , quæ difficillime intelligi poſſunt ; Theologi eas ſolvere , & explicare adnituntur difficultates , quas hominis ingenium obtrudere potuit . In tanta rerum ubertate , quæ ad hoc pertinent argumentum ; ea deligemus , ut moris eſt noſtri , quæ ſuggeſtum maxime decent , & quibus uti valeant Concionatores , ut Auditoribus ſuis Inferni , & peccati , quod ad illum ſternit viam , ſalutarem metum incutiant .

Cum vero omnia , quæ in hoc argumento pertractari poſſunt , redigantur ad privationem Dei , quæ vulgo Damni pœna vocatur ; ad pœnam , quæ dicitur ſenſus , ab igne profectam , & ab aliis ſuppliciis , quibus in calamitoſiſſimo eo loco damnati cruciantur ; atque ad æternam duplicis hujus ſæviſſimi tormenti durationem ; mirum eſſe non debet , ſi Concionum ſyſtemata a nobis afferenda , vel ea quæ a variis Auctoribus mutuati ſumus , ſunt potius diverſæ ejuſdem argumenti efferendi rationes , quam variæ Concionum imagines ; etenim quacumque ex parte ſpectentur , aliud profecto dici non poteſt .

Cæterum neceſſe non eſt admonere , exagerationem Chriſtiano Oratori , quolibet in argumento angue pejus evitandam , in hoc non eſſe metuendam ; humana mens enim concipere nequit cruciatuum Inferni magnitudinem ; illud vero diligentiſſime explicandum eſt , nos ob unum tantummodo mortale peccatum hoc ſupplicium mereri ; tamen non operoſum eſſe hic per pœnitentiam delere , quod in altera vita quibuſcumque ſuppliciis minime erit expiandum .

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Sermonum hujus Argumenti Structuræ.

I. CUm ſuperius jam monuerimus , quidquid de Inferno dici poteſt redigi ad pœnam damni , quæ eſt ſummi boni privatio ; ad pœnam ſenſus , quam ignis , aliaque tormenta gignunt ; ac tandem ad æternam utriuſque incomprehenſibilis cruciatus durationem : Prima concionis idea quæ ſeſe offerat inter varias rationes triplex hoc pœnæ genus efferendi , pertractandique , eſt eas una oratione complecti , neque ſeparare quæ ſemper erunt in eo tormentorum loco conjuncta ; & quæ tria ſolidæ , patheticæque concionis puncta ſuppeditant .

Punctum primum reſpicit pœnam damni propter privationem , ac abſentiam Dei , cujus adſpectus totam Cœli felicitatem conſtituit . Hujus ſupplicii magnitudo , quod capitale , atque eſſentiale damnati ſupplicium vocari poteſt , metienda eſt . 1. ex magnitudine boni , quod poterant adipiſci & de cujus ſpe dejecti fuerunt ; cumque jactura hæc infinita ſit , parit dolorem ineffabilem . 2. ex vi deſiderii quo flagrant calamitoſi illi , & ex conatibus , quos exerunt neceſſario , ut illuc tamquam ad finem ſuum perveniant , ſed unde ſemper repelluntur . 3. Ex earum rerum cogitatione , propter quas tanto bono exciderunt ; quas fluxas , fragileſque ſolidæ , æternæque beatitudini præferendas cenſuere , cum facili negotio tantam evitare poterant calamitatem .

Punctum alterum ; Senſus pœnam gignit ignis iræ Dei flatu ſuccenſus , atque ſupernaturali virtute , ultra naturam ſuam elevatus : 1. Qui in animam æque atque corpus damnatorum aget , 2. qui in ſimplicitate eſſentiæ ſuæ quæcumque tormenta alia complectetur . 3. qui univerſali , ac intolerabili extenſione ſua immenſum afferet dolorem .

Punctum tertium reſpicit æternam ſupplicii utriuſque durationem . 1. Oſtendi poteſt ſolidis argumentis illius æquitas , atque juſtitia . 2. Quomodo æternæ durationis cogitatio minimos quoslibet dolores non ferendos efficit , ideoque multo magis incomprehenſibiles cruciatus . 3. Quomodo in infinita hac duratione , ne unum quidem momentum vis tormentorum remittetur ; hinc aditus ad concluſionem patebit , contra inſaniſſimam hominum cæcitatem , qui parum adeo reputant , quod fortaſſe aliquando ipſis eventurum eſt , neque ſibi cavent , æternum ſupplicium evitaturi .

II. De pœnis Inferni generatim .

1. Inferni pœnæ certæ ſunt , veræque ; cum nihil ſit conſtantius , vel probatius in Scripturis , Conciliis , Sanctorumque Patrum Sententia , nihilque rationi conformius , quam quod deſtinaverit Deus locum , ubi poſt hujus vitæ ſtadium impii debita ſceleribus ſuis ſupplicia patiantur .

3. Hæ magnæ ſunt pœnæ , magnoque in numero , pares magnitudini læſæ majeſtatis , & indignitati peccatoris , qui Creatorem ſuum læſit , leges illius violavit , beneficiis ejuſdem abuſus eſt , & qui tot modis illum contumeliis laceſſere eſt auſus .

3. Æternæ ſunt , & numquam deſituræ propter rationes exploratas , atque hoc in tractatu a nobis referendas .

De calamitoſo reprobi in inferno ſtatu , qui in triplici hac conſideratione conſiſtit , quæ jugiter animo illius obverſabitur . III.

1. Subſidiorum , quæ ſibi non defuere , quorum ope evitare poterat malum , quod culpa ſua meritus eſt , quod illi ineffabilem dolorem gignit .

2. Cauſæ ſuppliciorum , quibus juſtiſſima Divinę æquitatis ſententia adjudicatus eſt , videlicet propter inane , fragile , fluxumque bonum creatum , propter honoris auram , propter momenti unius voluptatem .

3. Impoſſibilitatis , in qua eſt , eritque ſemper ex eo ſtatu emergendi , quod quidem æternam illi adfert deſperationem .

1. Pręſens infelices damnatos urget incomprehenſibilium , quas patiuntur , ſenſu pœnarum . IV.

2. Pręteritum memoria ſcelerum , falſarumque voluptatum , quas in hac vita guſtarunt , & quas æternę beatitudini prętulerunt .

3. Futurum , æternę ſuorum malorum durationis intuitu , ſine ſpe videndi cruciatuum ſuorum finem .

Calamitoſiſſimi in inferno damnati patientur . V.

1. Pœna in extenſione immenſas , quia animæ , & corporis , facultates , & ſenſus , quilibet propriis excruciabitur tormentis , pręter ignis ſupplicium , quod ubicumque ſæviat .

2. Pœnas crudeles , & intolerabiles in rigore ſuo .

3. Pœnas in duratione æternas .

Tria de inferno Scriptura tradit , quę ſermonis partitionem poſſunt efficere . VI.

1. Hunc locum eſſe , ubi reprobi a Deo ſeparati ſunt , ideoque omni carent bono : *Diſcedite a me maledicti .*

2. Locum , ubi ignibus inſepulti ſunt numquam extinguendis , ſemperque graviores animę , corporique dolores allaturis : *In ignem æternum .*

3. Locum , ubi crudeles patientur morſus vermis numquam interituri , ſtimulos videlicet conſcientię ſuę , ſenſibilium dolorum , variorumque affectuum ; *Et vermis eorum non morietur .*

1. Infernus locus ; & ſtatus eſt , ubi malorum omnium congeries invenitur . VII.

2. Nullum ſolatium , nullum ex aliqua parte refrigerium .

3. Nulla ſpes futurum ut deſinant mala , & ex calamitoſiſſimo carcere exitus pateat .

VIII. 1. Infernus malum eſt , in quod in ſingula momenta labi poſſumus , quod centies , ac ultra fortaſſe meriti ſumus , ſed hoc mirum eſt , quod pauciſſimi illuc recogitent , quaſi nihil ſibi eſſet metuendum :
Job 21. *Ducunt in bonis dies ſuos , & in puncto ad inferna deſcendunt .*

2. Infernus aliquid eſt adeo terribile , ut nequiſſimi peccatores illum reformident , ac tamen ita vivant , quaſi nullus eſſet Infernus .

IX. 1. Inferni cogitatio , ex S. Chryſoſtomi ſententia , impios facit , quia illius ſuffocant fidem , ut ſe ſe ſuis abdant cupiditatibus , videntes ſe pacatam ducere vitam non poſſe , donec infernum eſſe crediderint , in quo omnes voluptates ſuæ terminabuntur .

2. Eadem cogitatio , idem ait , bonos facit , nam ut tantum hoc mali effugiant , haud ægre voluptates ſuas propriæ ſaluti ſacrificant .

X. Hæc Sancti Bonaventuræ verba tribuere poſſunt argumentum Concionis de pœnis Inferni generatim .

1. *Acerbitate intolerabiles .* 2. *Æternitate interminabiles .*

Sin autem mavis concionem elaborare de ſola damni pœna , quæ in ſupremi boni privatione conſiſtit , plures inveniri poterunt rationes argumenti hujus efferendi , quæ ſemper ad eumdem finem colliment .

XI. 1. Hæc pœna damnato ſupremum auferet bonum , quod anima a corpore ſeparata tantopere concupiſcit , & in quod unice tendit .

2. Bonum , ad quod validiſſimum jus obtinebat ; quod illam acerbiſſimis doloribus excruciabit , eo quod culpa ſua illius jacturam ſubierit .

3. Bonum denique , cum quo tantum habebat affinitatis . *Biroat in Quadrageſima .*

XII. Ex triplici magnitudine de pœna damni ferri poteſt judicium .

1. Ex infinita magnitudine ſupremi boni , quod damnati amiſerunt .

2. Ex magnitudine , admirabilique vi ejus deſiderii , quo tanto bono frui concupiſcunt .

3. Ex magnitudine juris , quod ad tanti boni poſſeſſionem obtinebant , & quo culpa ſua exciderunt .

XIII. 1. Reprobi amiſere Deum , eumque amittentes amiſerunt omnia . Hæc jactura univerſalis eſt , & infinita .

2. Infinitum hoc bonum pro nihilo , pro terreno quæſtu , pro fluxa voluptate amiſerunt .

3. Illud ultro amiſerunt , attamen in æternum , ac citra ſpem ejuſdem recuperandi .

XIV. 1. Damnatus rebellis eſt creatura , quam Deus æterno odio proſequetur . Ex Dei odio conjici poteſt magnitudo ſuppliciorum , quibus illum torqueri jubebit .

2. Damnatus quoque Deum viciſſim execrabitur tamquam tormentorum ſuorum auctorem . Hinc conjici poteſt , quanta futura ſit illius rabies , & furor contra Deum , & quanta illius deſperatio videntis omnes conatus ſuos in irritum cedere .

XV. 1. Reprobatus a Deo per ſcelus recedit , Deus autem recedet in æternum ab eo per ultionem .

2. Creaturis per peccatum adhæret , & hæ creaturæ æternum illi ejuſdem ſupplicium futuræ adhærebunt .

XVI. De pœna ſenſus , de qua Concionatores aliqui ſeorſim concionem habuere : Deus igni in duplicem peccatorum abuſum duplici pœnarum genere animadvertet .

1. Abuſi ſunt libertate ſua , ut Deum offenderent ; Deus vero captivos detinebit illos in igne , igneiſ-
Pſam. 10. que vinculis , & catenis alligabit illos : *Pluet ſuper peccatores laqueos .*

2. Abuſi ſunt creatis rebus illicitam in illis voluptatem quærentes ; Deus vero hanc voluptatem violentiſſimo agentium omnium , igne videlicet , puniet . Itaque dolor , & captivitas duæ erunt impreſſiones , quas in damnatis ignis efficiet .

XVII. Ut intelligamus tormenti magnitudinem , quo inferni flamma reprobos diſcruciabit .

1. Conſiderari poteſt hic ignis in ſemetipſo , & in natura ſua : hoc graviſſimum eſt , & crudeliſſimum omnium ſuppliciorum .

2. Conſiderari poteſt in manu Dei , illum excitantis , eoque ad reprobos puniendos utentis ; tunc enim vires ejus auget Deus , ut illi majori dolore torqueantur .

3. In applicatione ad animam , & corpus damnati , qui indeſinenter , ac ſine ulla imminutione doloris in omnem æternitatem patietur .

XVIII. De mala æternitate , de qua juxta nonnullorum Concionatorum exempla integra poteſt haberi concio : tria conſiderari poſſunt , ac oſtendi .

1. Veritas , vel neceſſitas infeliciſſimæ hujus æternitatis contra infideles , & hæreticos .

2. Juſtitia ejuſdem , docendo æquum fuiſſe , ut æternas conſtitueret pœnas Deus ſcelera in altera vita puniturus .

3. Rigor , oſtendendo æterni ſupplicii cogitationem damnatis eſſe pœnæ additamentum .

1. De inferno minime cogitare ſumma cæcitas eſt in fideli . XIX.

2. Omnes conatus non exerere ad illum evitandum , extrema eſt , & inexcuſabilis inſania .

PARAGRAPHUS II.

Fontes , Auctoreſque , unde hauriri copia poteſt ad propoſitas Concionum ſtructuras exornandas .

SAnctus Auguſtinus , *in Enchiridio* conatur oſtendere , quam grave ſupplicium ſit a cœleſti gloria prohiberi . Sancti Patres ,

Idem , vel Auctor ſermonum ad Fratres in Eremo , *Serm.* 63. & 68. loquitur de horribilibus Inferni cruciatibus .

Idem , *Homil.* 16. *ex* 50. & *in Pſalm.* 68. oſtendit reprobos æternis ignibus adjudicatos numquam ex triſti eo lacu exituros .

Idem , *l.* 3. *de ſpiritu , & anima* , prolixum inſtituit ſermonem de inferni igne , vermi conſcientiæ , aliiſque damnatorum ſuppliciis .

Idem , *Serm.* 36. *de Sanctis* , oſtendit quomodo , qui iiſdem ſceleribus ſunt obnoxii , ſimul in inferno vincientur , & torquebuntur .

Idem , *Serm.* 4. *de Adventu ad judicium* , recenſet pœnas , quibus in Inferno damnati excruciabuntur .

Idem , *lib.* 21. 1. 9. & 10. *de Civit. Dei* , loquitur de pœnis , quas in anima , & corpore patientur .

Idem , *in Pſal.* 49. oſtendere adnititur , quam grave ſupplicium ſit in æternum a Deo ſeparari .

Idem , *Serm.* 181. *de tempore* , docet quam crudele tormentum ſit ignis .

Idem , loquitur etiam , *lib.* 16. *de Civit.* & *Serm.* 227. *de temp.* de damnatorum ſuppliciis .

Sanctus Gregorius , in hæc verba Matth. 8. *ejicientur in tenebras exteriores* , horribilem Inferni habet hypotipoſim .

Idem , in verba Job : *ubi nullus ordo , ſed ſempiternus horror inhabitat* , amplum inſtituit ſermonem de cruciatibus , quibus reprobi in inferno torquentur . *Lib.* 9. *in Job* 37. 38. & 39.

Idem , *lib.* 15. *Moral. c.* 8. in hæc ejuſdem Job verba : *Affligetur relictus in tabernaculo ſuo* , deſcribit miſerabilem reprobi ſtatum .

Idem , *cap.* 34. *in cap.* 42. *Job* , & *lib.* 9. *cap.* 48. & 49. explicat quomodo ignis inferni ſine luce comburet .

Idem , *lib.* 4. *Dialog. cap.* 28. & 44. docet , materialem inferni ignem acturum in animas a corporibus ſeparatas ; & veritatem hanc certam eſſe confirmat .

Idem , *lib.* 6. *Moral.* in hæc verba Job : *in vaſtitate , & famę ridebis* ; oſtendit , quomodo damnati eſurient , & ſitient .

Idem , *Homil.* 40. *in Evang.* explicat hæc S. Lucæ verba : *Inter nos & vos magnum chaos firmatum eſt* ; & docet quanam in re hæc ſeparatio conſiſtat .

Idem , *Homil.* 38. in hæc S. Matthæi verba , *cap.* 22. *Ligatis manibus , & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores* ; moraliter explicat , quomodo reprobi vincti ſint , & quas pœnas patiantur .

Idem , *lib.* 34. *Moral. in cap.* 15. *Job* , oſtendit damnatorum pœnam æternam futuram , & oppoſitam Origenis ſententiam confutat .

Idem , *lib.* 8. *in c.* 8. *Job* , de pœnarum Inferni æternitate iterum loquitur .

Idem , *lib.* 15. *cap.* 11. *Job* , docet damnatorum ſingulos pro criminum gravitate , ac multitudine paſſuros , quod ipſum oſtendit *in cap.* 39.

Sanctus Hieronymus , *lib.* 28. *in cap.* 65. *Iſaiæ* ; loquitur de igne inferni , & aufert hac de re Scripturarum teſtimonia .

Idem , explicans hæc Jeremiæ verba : *Plorans ploravit in nocte &c.* docet in inferno nullum futurum ſolatium , & oſtendit quinam futuri ſint dolores reproborum .

Sanctus Chryſoſtomus , *libro de Provid. Dei* , oſtendit , niſi Deus hominibus minitatus eſſet Infernum , atque pœnarum æternitatem , paucos pro cœli promerenda gloria fuiſſe laboraturos .

Idem ,

Idem, *Homil.* 24. *in Matth.* docet maximum damnatorum ſupplicium eſſe Dei adſpectu carere; & inferni deſcriptionem exornat.

Idem, *Serm.* 25. *in Epiſt. ad Roman.* docet, ea, quæ de inferno dicit Evangelium non eſſe ſimplices minas, ſed reales pœnas.

Idem, *Homil.* 50. *in cap.* 5. *Epiſtolæ ſecundæ ad Corinth.* oſtendit quam terribiles ſint pœnæ, quibus damnati eo in loco torquentur; præſertim vero quantum ſit ignis ſupplicium.

Idem, *Homil.* 49. *&* 5. *Tomi* 5. de eodem loquitur argumento.

Origenes, *Homil.* 8. *in lib. Numer.* loquitur de pœnarum damnatorum inæqualitate.

Sanctus Baſilius, *Orat. in Pſal.* 33. terribilem habet inferni hypotipoſim.

Idem, *Homil.* 50. *in Pſal.* 28. explicat naturam ignis Inferni ardentis, quin luceat, & abſumat.

Innocentius Papa III. *de Contemptu mundi c.* 10. docet damnatis nullam reliquam eſſe ſpem, nullam miſericordiam.

Euſebius Emiſſenus, *Homil.* 1. *ad Monachos*, & ipſe terribilem adfert deſcriptionem tormentorum, quibus damnati cruciantur.

S. Petrus Damiani, *Serm.* 60. hoc ipſum præſtat.

Sanctus Bernardus, *Epiſt.* 252. reddit rationem, cur peccator in inferno æternum torqueatur.

Idem, *Serm.* 16. *in Cant.* triſtem hunc locum deſcribit, & illum teſtatur metum, quem de eodem concepit.

Idem, de eodem pathetice etiam loquitur *lib.* 2. *de Conſider. ad Eugen. Pap.*

Hugo a Sancto Victore, *lib.* 2. *de Anima*, teterrimum eum locum, ejuſque tormenta deſcribit.

Sanctus Thomas, *contra Gentes lib.* 4. *cap.* 90. docet, quomodo materialis ignis in damnatorum animas agat.

Sanctus Bonaventura, *Tom.* 1. *Opuſc. Opuſc.* 1. fuſius de Inferno verba facit.

Sanctus Bernardinus Senenſis, *Tomo* 2. *Sermone* 22.

Dionyſius Carthuſianus de quatuor Noviſſimis, *cap.* 35. *&c.*

Sanctus Ephrem, *Tomo* 1.

Sanctus Dorotheus, *Doctr. Orthod. Tom.* 2.

Nemo fere ex Patribus eſt, qui in operibus ſuis de Inferno locutus non fuerit: iii, quos memoravimus, præcipui ſunt.

Aſcetici aliique.

Liber de Imitatione Jeſu Chriſti, *libro* 3. *cap.* 24.

Pat. Ludovicus Granatenſis, in Duce Peccatorum, *cap.* 8.

Idem in Tractatibus de Conſideratione Tract. 5. ubi quinque habet hujus argumenti Paragraphos.

Idem, in Memoriali fuſius hac de re verba facit.

Cardinalis Bellarminus, *lib.* 2. *de Gemitu Columbæ*, *cap.* 2.

Cardinalis de Richelieu, in Perfectione Chriſtiani.

P. Salianus, libro de timore Dei capite ultimo.

Drexellius, Tomo primo, Conſideratione de Æternitate.

Idem, de damnatorum rogo.

Gabriel Inchinus de quatuor Noviſſimis parte 3.

Beſſe, præter ſermones peculiarem edidit librum de Noviſſimis quatuor.

Cardinalis Bellarminus, peculiarem habet de Inferno tractatum.

Dionyſius Carthuſianus, in Speculo amatorum mundi, loquitur de æternitatis extenſione.

Sanchez de Regno Dei, *lib.* 8. *cap.* 5.

Petrus Caniſius, de quatuor Noviſſimis *cap.* 3.

P. Cauſſinus in Aula ſancta, Eſſato 18. de calamitoſa æternitate.

Eſſais de morale, Volumine quarto, Tractatu ſecundo, capite ſexto.

P. Guillelmus Stanihurſtus de quatuor Noviſſimis.

P. Antonius a Sancto Martino a Porta, in libro qui inſcribitur, *la Conduite de la Grace*, parte 2. tractat. 3. ubi agit de pœnis damni, & ſenſus.

Celada, Commentario in Judith, egregia quædam habet hujus argumenti.

P. Guilleminot, in Sapientia Chriſtiana *cap.* 6. ubi docet, Infernum eſſe; ſummum eſſe ſuppliciorum ejus rigorem, eaque ſupplicia æterna eſſe.

P. Guillorè, ſub finem operum in unum Tomum collectorum, collationem habet de Inferno.

P. Croiſet, Tomo 1. Conſiderationum Chriſtianarum loquitur de infelici æternitate.

Leſſius, de perfectionibus divinis; *in Serm.* 13. ubi de juſtitia Dei agitur, de Inferno quoque ſermo eſt.

Reynerius de Piſis, in Pantheologia argumentum hoc Theologice tractat, titulo, *Ignis inferorum*.

P. Theophilus Renaud, in Theologia naturali quærit, quomodo ignis materialis agere poſſit in animas.

Et Sanchez, Tertia parte.

Quicumque Meditationes concinnarunt, argumentum hoc non prætermiſerunt.

A Ponte, aliique præter infinitos Aſceticos in omnibus linguis, quos referre impoſſibile eſt.

Concionatores præſertim recentiores.

Molinier, Sermone ſecundo pro feria quinta hebdomadę tertię in Quadrageſima loquitur, de pœnis Inferni.

P. le Jeune Oratorii Presbyter, Tomo 7. Sermonem habet de inferno, & tres de miſera æternitate.

P. Reina, in Evangelium Epulonis, oſtendit infernum eſſe locum tormentorum, mortis, & ſeparationis.

P. Paulus Segneri, præclaras habet animadverſiones in Concione hujus argumenti.

P. Delingendes, tres edidit Sermones ejuſdem argumenti, ubi agit de pœna ſenſus, de pœna damni, & de mala æternitate.

Joly, in Propoſitionibus ſuis tres habet ſermones de Inferno. In primo oſtendit pœnas inferni generatim; in altero dolorem, quem ex privatione Dei animæ damnatorum patiuntur; in tertio docet, quomodo ignis in anima ſimul, & corpore dolorum omnium acerbiſſimum pariat.

Biroat, in Quadrageſima tres habet de inferno ſermones. In primo, qui tertius eſt pro feria ſecunda poſt primam Quadrageſimæ Dominicam loquitur de ſupremi boni ſeparatione, deinde de ſententia in reprobos ferenda: *Diſcedite a me maledicti*; in altero pro feria quinta poſt alteram Quadrageſimę Dominicam loquitur de miſerrima æternitate; atque in tertio pro feria ſexta poſt eamdem Dominicam loquitur de pœna ſenſus, quam ignis producit.

P. Texier in Adventu de Impio infelice, loquitur de miſera pœnitentia, & converſione animę reprobatę in inferno.

Idem, pro feria ſexta poſt ſecundam Quadrageſimæ Dominicam loquitur de cruciatibus, quæ damnato ignis affert, & in Sermone feriæ tertiæ poſt quintam Dominicam, loquitur de infelici æternitate.

P. de la Colombiere, *Serm.* 55. diſſerit de pœnarum inferni æternitate.

Idem, in Chriſtianis Conſiderationibus de eodem loquitur argumento, aliiſque inferorum ſuppliciis.

P. la Peſſe, Tomo tertio duos habet ſermones, alterum de pœnis, alterum de inferni æternitate.

P. Aurelianenſis, Tomo 1. Sermonum loquitur de pœnis peccati in altera vita.

Inter Sermones P. Bourdalove ſermo eſt de inferno feria 5. poſt alteram Dominicam.

P. Girouſt, *Tomo* 2. *Quadrag.* ſermonem habet de ſola pœna, quam ignis producit.

In Sermonibus Moralibus, non deeſt hujus argumenti ſermo.

In Sermonibus Chriſtianis Tomo 4. concio habetur de miſero damnatorum apud inferos ſtatu.

La Font, in Eccleſiaſticis ſermonibus, Propoſitione pro prima poſt Epiphaniam Dominica loquitur de jactura Dei in inferno, & pro tertia poſt eamdem diem Dominica loquitur de igne, aliiſque inferorum ſuppliciis.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta agit de pœna ſenſus. In Tomo primo Quadrageſimę de infelici æternitate. In Tomo 2. & Dominicali Tomo 3. loquitur de pœna damni.

Eſſais de Sermons, pro Adventu, Dominicis, & Quadrageſima, plures habet de Inferno Sermones.

Duo in altero Moralis Ditionarii Tomo inveniuntur.

Abbas de Monmorel, Dominica vigeſimanona poſt Pentecoſten,

Fromentieres, & de la Volpilliere hoc argumentum non præterierunt, & pauci Concionatores ejuſdem obliti ſunt.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Scripturarum Applicationes huic Argumento.

IGnis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima. Deut. 32.

Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis. Ibid.

Terra miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Jobi 10.

Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur; juxta multitudinem adinventionum ſuarum, ſic & ſuſtinebit. Jobi 20.

Devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur. Ibid.

Vadent, & venient ſuper eum horribilis. Jobi 20.

Mirabiliter me crucias. Ibid. c. 10.

Omnis dolor irruet ſuper eum. Ibid. c. 20.

Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adverſaris mihi. Ibid. c. 30.

Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant uſque in ſempiternum. Judith 16.

Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Jobi 21.

Pluet ſuper peccatores laqueos. Pſal. 10.

Ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum. Ibid.

Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius. Jobi 24.

In diem perditionis ſervatur malus, & ad diem furoris ducetur. Jobi 21.

Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Pſal. 48.

Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Pſal. 96.

Devorabit eos ignis. Pſal. 20.

Turbatus ſum, & non ſum locutus, cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Pſal. 76.

Calix in manu Domini vini meri plenus miſto, & inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fex ejus non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Pſal. 74.

Cadent ſuper eos carbones. Pſal. 139.

Peccator videbit, & iraſcetur; dentibus ſuis fremet, & tabeſcet; deſiderium peccatorum peribit. Pſalm. 111.

Quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo, iram tuam dinumerare? Pſal. 89.

Erunt gementes, & memoria illorum peribit. Sapient. 4.

Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum. Ibidem.

Dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. Sap. 5.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sapient. 11.

Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. Eccli. 21.

Sunt ſpiritus, qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmaverunt tormenta ſua. Eccleſiaſtici 39.

Ibit homo in domum æternitatis ſuæ. Eccli. c. 12.

Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiret. Iſaiæ 59.

Potentes potenter tormenta patientur, exiguo enim conceditur miſericordia. Sap. 6.

In ſempiternum aſcendet fumus ejus, a generatione in generationem deſolabitur. Iſaiæ 34.

Stuppa collecta ſynagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis. Eccli. 21.

Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Iſaiæ c. 66.

Calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea. Iſaiæ 63.

Congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur. Idem, c. 24.

Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam (terram.) Idem, c. 30.

Nocte & die non extinguetur, in ſempiternum aſcendet fumus ejus. Idem, c. 34.

Dilatavit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino: & deſcendent fortes ejus, & populus ejus, & ſublimes, glorioſique ejus ad eum. Idem, c. 5.

Convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in ſulphur: & erit terra ejus in picem ardentem. Iſaiæ 34.

Bibent de manu Domini calicem iræ ejus. Idem, cap. 51.

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? Idem, c. 33.

Inſanabilis eſt dolor tuus; propter multitudinem iniquitatis, & propter dura peccata tua hæc feci tibi. Jerem. 30.

Creatura tibi factori deſerviens, exardeſcit in tormentum adverſus injuſtos. Sap. 16.

Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis? Jerem. 15.

Voca nomen ejus abſque miſericordia, *quia non addam ultra miſereri domui Iſrael, ſed oblivione obliviſcar eorum.* Oſee 1.

Paleas comburet igni inextinguibili. Matth. 3.

Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus. Ibidem, cap. 25.

Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittitis eum in tenebras exteriores. Ibid. c. 22.

Timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam. Ibid. c. 10.

Bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Marci 9.

Filii regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Matth. 8.

Ibunt hi in ſupplicium æternum. Ibid. c. 25.

Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Luc. 16.

Ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Ibid.

Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris. Ibid.

Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Ibid. c. 3.

Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Joan. 15.

Qui dabunt pœnas in interitu æternas. 2. Ad Theſſal. cap. 1.

In flamma ignis dantis vindictam. Ibid.

Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Ad Hebr. cap. 10.

Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos. 2. Petri, cap. 2.

Angelos vero qui non ſervaverunt ſuum principatum, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit. Epiſt. Cathol. Judæ.

In diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam, & deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. Apoc. 9.

Hæc eſt mors ſecunda, & qui non eſt inventus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagno ignis. Apoc. 20.

Terribilis quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios. Ad Hebræos 10.

Blaſphemaverunt Deum cœli præ doloribus, & vulneribus ſuis. Apoc. 16.

Miſſi ſunt in ſtagnum ignis; pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure. Ibid. 20. & 21.

Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Ibid. cap. 18.

Lacus iræ Dei magnus, ſtagnum ignis. Ibidem, cap. 14. & 20.

Exempla ex Veteri, Novoque Teſtamento deprompta.

Sodomæ, & Gomorrhæ incendium quædam eſt imago inferni.

IN Sodomæ, & Gomorrhæ incendio exhibuit nobis Deus levem quamdam imaginem Inferni, ubi damnati igni, & fœtore criminum ſuorum æternum cruciabuntur. Ad hoc magnum Divinæ juſtitiæ exemplum animum eo diligentius advertamus, quia Dei Filius ipſe nobis proponit impiorum horum oppidorum calamitatem, tamquam exemplum illius, quę improviſo illos adorietur qui ab ea vitæ integritate, quam ille nobis præcepit, abhorruerint; ut cum terrorem nobis injecerit earum urbium juſte incenſarum ſupplicium, non obliviſcamur ea, quæ Jeſus Chriſtus teſtatus eſt, futurum videlicet, ut qui Deo, Paſtoribuſque ipſius non obedierint, ſeverius quam Sodoma, & Gomorrha puniantur. Nobis dictum putemus quod per Sodomæ, & Gomorrhę occaſionem ille dixit de aliis quibuſdam hominibus, in quo terribile judicium aliquod apparuerat: *Putatis, quod hi præ omnibus peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Ne ſine ſenſu terribile hoc ſpectaculum intueamur. Nobiſmet exhibeamus populum integrum flammis immerſum; aperiamus oculos, ut conſpiciamus unum ex graviſſimis ſuppliciis, quę Deus unquam palam exercuerit in peccatores, & quo oſtendit, in theſauris ſuis habere non aquas ſolum, ut in mundi totius cataclyſmo, ad terras purgandas; ſed ſulphureos etiam ignes ad obruendos in inferis impios, quorum imaginem quamdam in nefariarum civitatum conflagratione propoſuit.

Ignis

Ægyptii immobiles in tenebris detenti repræſentant damnatos igneis vinculis impeditos.

Sap. c. 17.

Ignis inferni, Scriptura inquit, damnatos in loco vinctos tenet, quin egredi valeant, vel minimum edere motum, ex quo ſolatium poſſint percipere; itaut damnatus ita igneis alligatus catenis tunc etiam poſtquam ſæculorum myriades effluxerint, hærere debeat, quin violentum illud ſtudium, quo ſuam amat libertatem, efficere valeat, ut locum mutet. Hujus rei figuram habemus in perſona Ægyptiorum, qui juſto Dei ſupplicio diu permanſerunt. *Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti*, ut ait Spiritus Sanctus. Sed damnati igneis vincentur catenis; itaut etiam ſi Deus ignis activitatem ſuſpenderet, graviſſimum tamen eſſet damnatorum ſupplicium, ſeipſos intueri æternum in flammarum carcere impeditos, quin ſeſe movere unquam poſſint.

Pœnitentia Eſau poſt vendita primogenita, figura eſt pœnitentiæ damnatorum.

Geneſ. 25.

Ibid. c. 27.

In Geneſi legimus, Eſau, poſtquam ſua vendidit primogenita pro lentis edulio, ne cogitaſſe quidem quonam excidiſſet jure per hanc venditionem: *Abiit parvipendens, quod primogenita vendidiſſet*. Sed cum vidit, inde fratrem paterna benedictione auctum fieri dominum ſibi, ac ſe privatum agnovit hæreditate, quam præſtolabatur; tunc agnovit errorem ſuum, & quantam ſubiiſſet jacturam, pro exigua, modicaque re adeo pretioſum privilegium amittens: *Irrugiit clamore magno, & conſternatus eſt*. Ipſum pœnituit, atque clamores rugituſque edidit, qui parum a deſperatione abhorrebant. Hæc fidelis eſt imago malorum, quæ damnatis accidunt, qui animam dæmoni vendiderunt, atque Deum pro fluxis, perituriſque bonis, pro terrenis opibus, & miſera aliqua voluptate amiſerunt. Nunc ſurdis canimus, cum illis oſtendere adnitimur damnum, quod inferunt ſibi, pro re abjecta, ac nullius pretii Paradiſi gloriam, ac Dei poſſeſſionem abdicantes, hanc enim jacturam flocci faciunt: *Abiit parvipendens, quod primogenita vendidiſſet*. Sed cum fato functi videbunt irreparabilem ſupremi boni jacturam, ſenſum, ſermonemque mutabunt. Intelligent quam grave malum ſit amiſiſſe Deum, infinitum illud bonum, cujus ſublimes, dignaſque concipient ideas, atque illud pro nullius momenti voluptate, nec non in nullam reditus ſpem amiſiſſe.

Iſraelitæ dolentes, quod procul a patrio ſolo abſunt, figura eſt reproborum qui in æternum a cœleſti patria ſunt abfuturi.

Pſal. 86.

Matth. 25.

Animo concipite Iſraelitarum mœrorem, qui Babylonem in captivitatem abducti, muſica inſtrumenta perpetuo ſilentio damnata ſalicibus ſuſpendebant, ac ſecus flumina Babylonis ſedentes Jeroſolymæ, cujus obliviſci non poterant, jacturam deflebant. Mente reputate quidquid illis poſtea contigit, cum de Civitate, ac regione ſua a Romanis Imperatoribus ejectis Adriani Cæſaris edicto non ſolum interdictum fuit ad parentum ſuorum ſepulcra ploraturos accedere, verum etiam ea montium cacumina aſcendere, unde ſolum, in quo alti, educatique fuerant, proſpicere poſſent. Hinc judicium eſto de magnitudine deſperationis reproborum, cum ſedentes non ſecus flumina Babylonis, ſed in ardentibus flammis, cum effundentes non lacrymarum fluvios, ſed torrentes ſanguinis; cum inſtrumenta muſica non aliquot annorum, ſed æterno ſilentio damnantes, recordabuntur non amplius civitatis Juda, neque templi Jeruſalem, ſed mirabilium, quæ toties de civitate Dei ſibi narrata fuere: *Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei*. Recordabuntur funeſtæ illius ſententiæ: *Diſcedite a me maledicti*, qua in omnem æternitatem & Deo, & omnibus miſericordiis ejus privati fuere.

Deus produxit vitam Cain, ut ejus ſupplicia produceret, imago eorum quæ in inferno cum reprobis Deus operatur.

Deus in æternum cum reprobis id efficiet, quod olim ad tempus cum Cain, qui deliberata nequitia peccaverat. Huic vitam produxit, ut ſupplicium produceret. Inuſſit illius fronti quemdam caracterem, ne quis vitæ ejuſdem vim auderet inferre, & hoc pacto diutius ob patratam a ſe cædem punitus fuit. Mortem ille, tamquam beneficium expetebat; Deus autem diutius ultionem ſuam exerciturus, non patiebatur illum humanis decedere: *Cupidum mortis, ut lueret delictum, vetuit mori*, ait Tertullianus. Ita Divina juſtitia in reprobos ſæviet, morientur illi quidem, ſed in omnem vivent æternitatem: mors eorum mors erit ſine morte, finis ſine fine, vel potius finis eorum finis erit infinitus; ut mors ipſorum in pœnis ſuis ſit immortalis.

Senſus Ægyptiorum tempore famis cum præteritæ fertilitatis recordarentur, alia imago dolorum, quibus reprobi torquebuntur.

Mecum reputate, quinam eſſent Ægyptiorum ſenſus, ubi beatorum opimæ fertilitatis annorum recordatio mentem eorum ſubibat, atque cogitabant, non ſolum adfuiſſe ſibi propitiam in futurum tempus annonæ ſuæ conſulendi occaſionem, verum etiam in omne reliquum vitæ ſpatium locupletandi. Cogitate, quænam fuerit eorum pœnitentia, & quonam dolore ſibimetipſis hæc exprobraverint. Eheu nos miſeros! quam facile poteramus, non unius tantum anni neceſſitati proſpicere: ſed in æternum rerum omnium affluentiam nobis comparare, & noluimus. Hæc ſane querela in calamitoſorum eorum hominum ore juſtiſſima fuiſſet: verum tanta eſt inter eorum, reproborumque calamitatem, inter eorum, & plurimorum mortalium cæcitatem diſparitas, quanta umbram inter, & veritatem. Fames, quam illi pertulere, ſeptennis fuit, ſed reproborum erit æterna; illa remedium nacta eſt, licet maximo pretio comparandum, at hæc nullum inveniet finem; non defuit ratio, qua magna argenti vi illi ſibi conſulere poſſent; at nihil hos tantis liberare poterit pœnis: horum ſupplicium nequit remitti, horum ſententia revocati non poteſt.

Evangelici Epulonis exemplum.

Luc. 16.

In Evangelio pauca tantum nobis ſuppetunt hujus argumenti exempla, aut imagines. Exemplum vero quod melius expreſſum eſt, nobiſque aperit exceſſum tormentorum, quibus reprobi in inferno torquentur, & ea peccata, quæ ut plurimum illuc deducunt; Evangelici Epulonis eſt, ſive illud tamquam ſimplex parabola proponatur, ſive, quod fidei magis congruum videtur, tamquam hiſtoria vera narretur. Dicit Evangelium, divitem hunc virum poſt vitam in deliciis tranſactam mortuum fuiſſe, atque in Inferno ſepultum: *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in Inferno*. Animadverti poſſunt ſepulturæ duæ longe diſſimiles, quibus infelix iſte dives elatus eſt, altera quidem quoad animam, quoad corpus altera. Quemadmodum ille in rerum opulentia vixerat, in terra honoribus erat cumulatus, & poſt mortem etiam funebri pompa, magnoque cum honore illi parentatum fuit. Cadaver ejus magnifice elatum fuit, atque ſuperbum illi extructum mauſolæum. Licet nequam extitiſſet, non defuere tamen Oratores, qui illius laudes recitarent, eique illas tribuerent virtutes, quibus ornatus non erat. Verum non eodem pacto anima illius tumulata eſt; alibique diſtricto judicio, quin ulla vel opum, vel nobilitatis ratio haberetur, damnatus, pro meritis exceptus eſt. Cum enim corpus ejus magnifice tumularetur, anima ejus in dæmonum prædam ceſſit, & quin, ut illa pauperis Lazari, in Abrahæ ſinum deferretur, præceps dejecta eſt in abyſſum ignis, ardentibus involuta flammis, & eo redacta, ubi in omnem æternitatem non aliam, quam infernum, ſedem ſit habitura. Aliæ ſuppliciorum ejuſdem circumſtantiæ ſatis notæ ſunt, ac ex iis peti poſſunt, quæ a nobis ſunt in paragrapho ſexto dicenda.

Fatuarum Virginum parabola.

Matth. 25.

Parabola a Salvatore apud Sanctum Matthæum *cap.* 25. nobis propoſita, docet poſt elapſum vitæ hujus curriculum, reprobis, quibus Cœli aditus interclufus eſt, nullam reliquam eſſe ſpem illuc unquam ingrediendi. Virgines ſapientes, quæ paratæ erant, ut Sponſi ædes introirent, illic admiſſæ fuerunt; illis vero, quæ fatuæ dicuntur, quia in lampadibus ſuis oleum neglexerant infundere, hoc eſt, quibus charitas deerat, & quæ malum non præviderant, quod ipſarum negligentia ſibi conflare poterant, janua clauſa fuit. *Quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias; & clauſa eſt janua*. O clauſa janua! o clauſtrum numquam reſerandum! hoc in loco ſapiens, piuſque Ludovicus Granatenſis exclamat: O bonorum omnium oſtium numquam aperiendum! Hoc idem eſt, ac ſi Evangeliſta dixiſſet apertius: janua clauſa eſt veniæ, miſericordiæ, ſpei, gratiæ, meritis, omnibus denique aliis bonis, quæ ſperari poſſunt; & nihil damnatis reliquum eſt, quam æterna deſperatio.

Parabola de eo, qui ſine veſte nuptiali ad convivium acceſſit.

Aliam habemus capite 22. ejuſdem S. Matthæi parabolam, quæ in illius perſona, qui ad nuptiale convivium acceſſerat ſine ea veſte, quæ in hujuſmodi celebritate urbanitatis poſtulat ratio, nobis oſtendit, quomodo ſint aliquando excipiendi illi, qui ſeſe præbuerunt indignos, quin ad gloriæ convivium admitterentur. Princeps, qui ſolemni huic cœnæ invitaverat, videns hominem hunc indecora veſte indutum, ſtatim miniſtris ſuis imperavit, ut illum pedibus, manibuſque vinctis in tenebras exteriores projicerent. Hic Jeroſolymæ carcer erat, ubi ſontes coercebantur; atque ut innuat per tenebricoſi hujus carceris alluſionem, ſe intelligere infernum reprobis deſtinatum, addit in triſti eo loco ploratus, ſtridoreſque dentium non defuturos.

Ap-

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Damnatorum animabus imprimet Deus ideam, quæ erit velut cryſtallus quæ ipſum illis iratum exhibebit.

A*Spectus cryſtalli horribilis. Ezech.* 1. Ezechiel Propheta nobis deſcripturus iram Domini exercituum ſeſe præparantis ad ultionem de inimicis repoſcendam; illum exhibet ſub imagine ſpeculi e cryſtallo, ſed cryſtallo horribili. Quid ſibi vult Propheta? Nonne melius, juxta aliorum Prophetarum ideam, affirmaſſet, futurum, ut Deus ſeſe oſtenderet flammarum throno inſidentem, vel tamquam ignem devorantem, vel tamquam ingentem nubem fulgura emittentem, atque in fulmina, atque tonitrua erumpentem? Hæc, mea quidem ſententia, magis propria, atque emphatica extitiſſent ad Deum iratum exhibendum. Verum hæc locutio myſterio non vacat. Propheta enim ſignificare vult, Deum reprobos condemnantem eorum animæ impreſſurum quamdam ſuiipſius ideam, quæ erit tamquam cryſtallus, ac terribilem lumen, in quo, & per quod in omni temporum diſcrimine, ac per omnem æternitatem videbunt boni illius magnitudinem, quod amiſerunt, Deum amittentes.

Omnia vitæ hujus mala non aliud ſunt quam guttæ iræ Dei; in inferno autem pluvia erit, & imber inundans.

Stillavit ſuper nos maledictio. Daniel. cap. 9. Omnia perfunctoria mala, quibus nos Deus affligit in tempore, nihil aliud ſunt, ut cum Scriptura loquar, niſi guttæ quædam flagellorum, quibus divina juſtitia Inferos inundabit: *Stillavit ſuper nos maledictio*. Habitualis infirmitas languorem inducit; ægritudo opprimit; dolor acutus cruciat, & torquet; ſed hæc non aliud ſunt, quam leve aliquod ſpecimen terribilium malorum, quæ Deus minitatur, & quibus vos eſt percuſſurus, niſi illum præoccupare ſategeritis: *Stillavit*. Lis vos turbat, bonorum jactura dolore vos afficit, inopinata calamitas vobis profundum mœrorem, & nonnumquam deſperationem etiam inducit; verumtamen hæ nonniſi quædam guttæ ſunt, ſuper vos ſenſim ſtillantes: *Stillavit*. Immo Deus proprie non ita vos punit iratus; ſed e contra diebus miſericordiæ ſuæ ita viſitat; Quid autem erit, ſecundum Prophetæ verba, cum in ſuo furore percutiet? Si gutta, Sanctus Hieronymus inquit, tantum vobis dolorem adfert, quid tandem erit, cum aggeribus, valliſque diſruptis tumidus in vos undequaque torrens irrumpet? *Si tanta eſt ſtilla, quid erit torrens? Ex Patre Girouſt Sermone de Inferno.*

Damnati pœnitentia, quod ob modicam voluptatem ſeſe tantis tormentis objecerint.

Guſtans guſtavi paululum mellis, & ecce morior. 1. *Reg. cap.* 14. Damnatus inter ſupplicia ſua recordatus præteritarum voluptatum, quæ tormentorum quibus torquetur, cauſa extitere, nonne dicere poterit, ut Jonathas ultimo jamjam afficiendus ſupplicio, eo quod imprudenter paululum mellis guſtaſſet? *Guſtans guſtavi paululum mellis, & ecce morior?* Me miſerum! ſi fluxis, durabilibuſque perfruens voluptatibus mortis periculo me tantummodo objeciſſem, minus mihi de imprudentia mea dolendum eſſet; ſed amariſſime doleo, ſemperque inutili pœnitentia diſcrucior, quod pro levibus, brevibuſque voluptatibus memet malis numquam deſituris objeci.

Apoc. 21.

Sepultus eſt in inferno. Luc. 16. Evangelium de divite nequam æternis flammis damnato loquens ait, illum *ſepultum* fuiſſe in inferno. Quemadmodum autem mortuus ingeſta tumulatus humo, eadem undequaque tegitur; ita reprobi in flammis ſepelientur, hoc eſt undequaque ignibus erunt circumdati: *Sepultus eſt*. Hinc illa figurata Scripturæ locutio; *pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure;* itaut quocumque ſe vertant, ubique eumdem ignem inveniant, quo circumdati ſunt. Verum non ſatis: ignis pervadet, permeabit, penetrabitque hæc corpora ſæviſſimis devota doloribus, quemadmodum loquitur S. Bernardus. *Corpora doloribus devota*. In igne erunt, & ignis in eis; itaut in omnibus ſenſibus ſive exterioribus, ſive interioribus unuſquiſque æque cruciabitur.

Infernus ignis æternus.

In ignem mittent, & ardet. Joan. 15. Salvator de ignis ſupplicio, quo in inferno reprobi ſunt afficiendi eodem loquitur modo, quo de æternitate per verba temporis præſentis, ſemper permanentis: *In ignem mittent, & ardet*. Improbum hoc ſarmentum, hoc eſt impœnitens peccator in ignem projicietur, & ardet; ubi dicendum videretur, *ardebit*; verum non ita. In æternitate omnia ſunt præſentia. Quærite ex malo divite, qui tot ab hinc ſæculis illuc conjectus fuit, quid iſtic agat, & reſpondebit: *& ardet*. Quocumque momento, quod effluit, quacumque hora, die, anno, qui labitur, quocumque ſæculo, quod in hac volvitur æternitate, hoc ipſum ex eo percontamini, & idipſum reſpondebit ſemper; *& ardet:* indeſinenter ardet, ac ſine ulla intermiſſione torquetur.

Infernus eſt manſio æterna.

Ibit homo in domum æternitatis ſuæ. Eccli. 12. Infernus domus erit, æternaque reproborum habitatio. Quot effluxere ſæcula, ex quo malus dives ardet, & gemit in inferno? Numquid ideo ulla ſpes eſt, futurum ut inde aliquando egrediatur? Haud ita; illuc deſcendit, & hæc erit domus æternitatis ſuæ. Numquid poſt centum annorum millia, poſt decies centena millia, poſt millies centenas ſæculorum myriades ibi adhuc aderit! O terribilem temporis menſuram! At hæc omnia dicit, qui verbo ait, manſionem hanc æternam fore; impios illuc relegari in æternum ſine ulla ſpe illinc unquam egrediendi.

Peccata, quę damnati patraverunt, illis ſemper erunt præſentia.

Non eſt pax oſſibus meis a facie peccatorum meorum. Pſal. 37. Nullam requiem vel habeo, vel habere poſſum, cum ante oculos meos omnia peccata mea ſtatuo. Ita in aula ſua loquitur quidem Rex, qui ſexcentis vacare poterat ſolatiis, ut a mente ſua cogitationem hanc amoveret. Attamen quamvis Rex ſit, nullam invenit requiem, ubi præterita ſcelera animo repetit. Heu! quid igitur erit de anima inferno addicta, cui in omnem æternitatem ſemper, & neceſſario peccata ſua ob oculos verſabuntur? Hoc in mundo facile peccatorum obliviſcimur, & cum ab illis ultra nolumus torqueri, ſcimus illa poſt tergum rejicere, ut Sanctus Bernardus ait; ſed unica animæ in Inferno occupatio hæc erit, ſibimet jugiter ob oculos ſua delicta objicere. Peccaſti, & peccata tua vides; calamitas tua a te profecta eſt, & quacumque confuſione ſuffundaris; quæcumque tua ſit pœnitentia, omnia irrita ſunt. *Ex ſermonibus editis ſub nomine P. Bourdalove.*

Malus mali divites in Inferno ſtatus.

Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno. Luc. 16. Qui finis! quæ ſors! Dives hic, beatus hic ſæculi, voluptatibus addictus, ac vitæ ſuavitatibus inebriatus; dives hic mortuus eſt; nihil illum fato ſurripere potuit, ſed e terris ſublatus, quid tandem eſt? Heu! corpus, cui adeo fuerat blanditus, intra paucos dies contabuit, & ex tabo vermes exierunt, anima vero ejus ſepulta eſt in inferno. Quam mutationem! quod diſcrimen! egredi ex domo magnifice ornata, inſtructaque, ex rerum omnium affluentia, ex delitiis, & voluptatibus, atque in infernum decidere ſimul cum ſceleſtiſſimo quoque ſepeliendum.

Inferni ſupplicium nulli ferendum.

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante &c. Iſaiæ 33. Mundana illa mulier, quę mollem ducit vitam, quam minima aeris intemperies offendit, poteritne inter has flammas verſari, atque ibi verſari in æternum? Flagitioſi homines, quibus Domini jugum nimis grave eſt, atque leges Evangelii nimis auſterę, quomodo aſſueſcere in Inferno poterunt ardoribus ſempiternis, infinitis cruciatibus, & innumerabilibus ſuppliciis? Proh, quam horribile ſpectaculum! Princeps aliquis, hujus ſæculi beatus, in inferno cum dæmonibus permixtus, circumdatus, impeditus, horrentibuſque ignibus penetratus! Homo doctus, & inſignis, qui in terris ſumma ingenii floruit celebritate, factus æternum eorum omnium opprobrium, quotquot in terris vixere, atque ad hæc in flammarum abyſſo ſepultus, Eccleſiaſticus ipſis etiam angelis venerabilis ob caracterem ſuum, qui tandiu adorabili Salvatoris corpore fuit innutritus, qui diſpenſator fuit pretioſi illius ſanguinis, quo mundi peccata abluuntur; Sacerdos hic damnatus, Sacerdos hic in inferno æternum contra Jeſum Chriſtum blaſphemias evomet! &c.

Timor Dei, qui æternis nos adjudicare poteſt ſuppliciis.

Timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam. Matth. 10. Merito quidem nobis dicere potes, o Domine, infernum unicum eſſe malum, quod vere ſit metuendum. Quid enim intereſt coli, & in pretio haberi; rerum copia frui, & in delitiis verſari, ſi damnor? Quid refert obſcuram, mortificatamque vitam ducere, in oblivione, odio, & contemptu haberi, dummodo æternis ignibus non ardeam? Proh Deus! Si vis me ſcelerum meorum pœnas luere, ulciſci, in hunc peccatorem animadvertere, æquum eſt; ſed in hac vita ulciſcere, neque me æternis ſuppliciis adjudices. Quanta tibi placuerit ſeveritate rebellem hunc puni, dummodo hoc in tempore fiat, non autem in æternitate. Quantumvis diſtricta, magnaque ſint ſupplicia tua, ſemper eam laudabo manum, qua in hac vita percutiar; ſed æternis abſtine pœnis &c.

Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Sap. 5. Quid modo prodeſt,

da-

Inutiles damnatorũ querelæ. damnatus ait, olim divitem fuiſſe, potentem, vitamque in ſplendore, affluentia, & voluptatibus duxiſſe? Vitæ hujus ſuaviſſimæ terminus infernus eſt, & fructus præteritorum gaudiorum ſunt ignes, æternique ploratus, & pœnitentiæ. O mortales divitię! O fallaces voluptates! O bona peritura! quomodo allicere potuiſtis hominem, qui virus veſtrum non ignorabat? Opes, quas poſſedi, proderuntne mihi, ut elabi poſſim ex manibus terribilis hujus juſtitiæ, cui traditus ſum? Venerabilis ille character, auctoritas illa, quam aſſecutus ſum, proderuntne, ut revocetur in me lata ſententia, vel ſaltem, ut aliquid illius ſeveritatis, aut diuturnitatis imminuatur? Honores, qui mihi delati fuere, hæc dignitatis inſignia, quæ geſſi, prohibebunt, ne cum infamiſſimo, & ſceleſtiſſimo quoque confundar? Quonam abierunt improbi aſſentatores, mercenarii amici, qui ſceleribus etiam meis plaudebant? Poſtquam me in hæc horrentia loca impulerunt, aliquandone auxilium præbebunt, ut iſtinc emergam? Fallaces voluptates, jucunda ſolatia, in quibus vita mea verſata eſt, proderuntne ad inhibendam, vel imminuendam vim hujus ignis, quo uror, ad leniendum harum flammarum ardorem, quę numquam extinguentur; vel ad ſenſum earum auferendum? *Quid nobis profuit?* Opimam ſucceſſoribus meis hæreditatem reliqui, ipſe vero reprobatus ſum. Filios reliqui opibus, commodiſque affluentes, ego autem comburor. Amici mei adhuc lætantur in terra, adhuc voluptatibus vacant, ego vero ſum æternis ſuppliciis addictus. Amentiam vocabam ſanctam eorum vigilantiam, qui in id unum incumbebant, ut beatam æternitatem ſibi compararent. Heu! mors ſatis eorum facta probavit, nunc perfruuntur in cœlis, ego autem uror in flammis.

Sicut oves in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Pſalm. 48. **Reprobati in inferno ſunt victimæ æternæ.** Non poterat Propheta melius exhibere terribile ſacrificium in omni æternitate faciendum, quam damnatos tamquam victimas repræſentans. Sed curnam, addit ille *mors depaſcet eos*; non autem mors illos vorabit? Quia hoc intereſt diſcrimen inter herbas, quæ convelluntur, ut armentis comedendæ tradantur, & eas, quas eadem depaſcunt; quod illæ penitus deſtruuntur, & abſumuntur, hæ vero e contra iterum germinant, ac ſemper renaſcuntur. Hoc ipſum diſcrimen occurrit inter eos, quibus hic mors vitam aufert, & eos, quos æterna juſtitia in altera vita morti pabulum præbuit; illos enim quodammodo vorat, quia eorum corpora abſumit, & deſtruit, redigens illa in ipſum principium, unde fuerunt educta; hi vero in æternum mortis vim experientur, quin ad nihilum redigantur. Hæ ſunt infelices victimæ, quarum, ut ita dicam, jugulo mors aſſidue cultrum infiget, quin illas enecet, quas immolabit ſemper, quin illas abſumat. *Ex libro cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Euſebii Presbyteri.*

Et dixi, periit finis meus. Thren. 3. **Senſus deſperationis in damnatis ſuppliciorum ſuorum æternitatem cogitantibus.** Damnati non conquerentur tam de cruciatuum ſuorum, quibus obruti erunt, numero, quam de pœnarum ſuarum æternitate, Acerrimi doloris ſui cauſa erit mori non poſſe „ ut deſinant pati. *Et dixi periit finis meus.* In æternum cum de me actum ſit, neceſſe eſt, ut vivam: Ignes devorantes me comburite; percutite, ac iterate vulnera, ſævi carnifices; Divina juſtitia ne parcas huic victimæ. Sed nulla ſpes erit penitus pereundi. O vivendi neceſſitas infinite gravior ipſa neceſſitate ſupplicia adeo terribilia ſubeundi! *Periit finis meus*: Finis meus æque diſceſſit a me ac ſolatium meum: mors mea æque mihi impoſſibilis, ac requies mea. Terribilis ſcelerum meorum Judex tot, quot tibi placuerint, ſæculis patiar hunc carcerem, has pœnas; ſed permitte tandem, ut aliquando evaneſcam. Potueras mihi vitam non tribuere, quid intereſt, me in æternum ſubſiſtere? Fruſtra perire peto; fruſtra me hic ignis naturaliter deglutire deberet; vita mea æque certa eſt, ac infernus meus: *Periit finis meus*; nonniſi in omnem deſperationis exceſſum, reliquum eſt, ut erumpam. *Ex Sermone de inferno P. la Peſſe.*

Abſcondam faciem meam ab eo. Deuteron. 30. **Damnatus æternum Dei aſpectu, quod ſupremum illius bonum eſt, privatus.** Infelix, qui hoc momento in Infernum labitur, te numquam, o ſupreme Creator, in æternum videbit! Jam actum eſt: jam in æternum carere debet adſpectu infinitæ illius pulchritudinis, quę amicos tuos æternum beatiſſimos efficiet: *Abſcondam faciem meam ab eo.* Jam in æternum dejectus eſt de ſpe hæreditatis, & Regni, quod illi præparaveras; cum interim fideles ſervi tui in gloria ineffabili triumphabunt. Eheu! quænam inter prædeſtinatum, & reprobum, Cœlum inter, & Infernum oppoſitio? Quis mente concipere poteſt deſperationem hominis in carcere clauſi, qui numquam aperietur, in flammis, quę numquam extinguentur, in tormentis, quę numquam ceſſabunt, præſertim vero in æternum carentis viſione illius, qui ſupremum illius bonum fuiſſet! *Idem.*

Plangite ſuper regione deſiderabili. Iſaiæ 32. **Damnati in æternum concupiſcent cœlum, quo numquam ingredientur, & hoc deſiderium pars erit eorum ſupplicii.** Infelices animæ reputantes vos æterno damnatas exilio, ab amabili cœleſti patria in æternum abeſſe, quo numquam pedem eſtis illaturæ, plangite, & ululate, Et profecto damnatus videbit Paradiſum clauſum, eumque concupiſcere non ceſſabit. Eſto; non poſſideatur, quod minime cupitur, vel quod non adeo ardentibus votis exoptatur; at numquam frui poſſe eo, quod ſemper deſideratur, ſemperque fervidioribus votis perquiritur? Quid cogitare, quid dicere poteſt reprobus, qui de medio fornacis ardentis indeſinenter ad Paradiſum anhelat, & ſine intermiſſione inferni ſupplicia perpetitur? Quanam amaritudine Cœli adſpectus cor ejus replet? Quot clamoribus, quot lacrymis hoc illi non ſtat deſiderium? Cœlum felix Sanctarum animarum habitatio, te numquam videbo; & te, o inferne infeliciſſime carcer, patiar in æternum. Amabilis prædeſtinatorum ſocietas tuis deliciis non fruar; & vos o dæmones, vos o calamitoſiſſimi reprobi, in æternum vobiſcum in hoc tormentorum loco permanebo. *Idem.*

Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam. Pſal. 37. **Numquam removebit Deus manum ſuam damnatos percutientem.** O Domine! Regius Pſaltes ajebat, ſagittę tuę alte adeo inhæſerunt mihi, ut ne unam quidem convellere valeam. Ita manum tuam aggravaſti, ut indeſinenter omne illius pondus experiar. Numquam amovebis, numquam auferes terribilem hanc manum tuam, ac videor quovis momento iis omnibus vulneribus affici, quę illa prępąrat mihi: *Confirmaſti ſuper me manum tuam.* Sagittis tuis confoſſus, tuaque manu percuſſus in eo ſtatu ſum, in quo æternum permanebo, Hæc dicere poteſt damnatus, *Idem.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum, hujus Argumenti.

In inferno, etſi erit ſtimulus pœnitudinis, nulla tamen erit correctio voluntatis, a quibus ita culpabitur iniquitas propria, ut nullatenus ab eis diligi poſſit vel deſiderari juſtitia. Auguſt. lib. de fide ad Petrum.

Quæ quiſque gravia patitur, in comparatione æterni ignis, non tantum parva, ſed nulla ſunt. Idem, Serm. 109. de temp.

Dixit hoc infinita Dei ſapientia, & quæ damnatos punit, eſt infinita Dei potentia; quod facit miris, ſed veris modis. Idem, lib. 12. de Civit. cap. 10.

Majore timore minora contemnimus, & majore æternitatis cupiditate, omnia temporalia faſtidimus. Idem, in Pſalm. 66.

Quantum exegerit culpa, tantum ſibi de homine quædam flammæ rationalis diſciplina vindicavit. Idem, Homil. 15. ex 50.

Quantum ſtulta iniquitas ſuggeſſit, tantum ſapiens pœna deſæviet. Idem.

Nullus id unquam juſtitia legis attendit, ut tanta mora temporis quiſque puniatur, quanta mora temporis unde puniretur admiſit. Idem, lib. 21. de Civit, cap. 11.

Quodlibet ſcelus non temporis longitudine, ſed iniquitatis, aut impietatis magnitudine metiendum. Idem, ibid.

Non eſt in æternitate, fuit, aut erit, quia & quod fuit jam non eſt, & quod erit nondum eſt, ſed quidquid ibi eſt, non niſi eſt. Idem, in Pſalm. 91.

Mors depaſcet eos, quia ſemper morientur ad vitam, & ſemper vivent ad mortem. Idem, in Pſalm. 48.

Omnia ſæculorum ſpatia definita, ſi æternitati interminatæ comparentur, non ſunt exiſtimanda exigua, ſed nulla. Idem.

Nihil in regno Dei deſideratur, quod non inveniatur; & in inferno nihil invenitur, quod deſideretur. Idem.

Prima mors animam nolentem pellit de corpore; ſecunda mors animam nolentem tenet in corpore, Idem, lib. 2. de Civit. c. 3.

O mors, quam dulcis eſſes, quibus tam amara fuiſti! te ſemper deſiderant qui te ſemper oderunt; clamant enim, o mors veni, interfice nos, o mors deſtrue nos. Idem, l. de miſeriis mundi.

Timens terreo; ſecuros vos facerem, ſi ſecurus fierem ego: igne æternum timeo. Auguſtin. in Pſalm. 80.

Dolor manebit ut affligat, natura permanebit ut ſentiat. Idem, lib. 19. de Civit. cap. 28.

Si anima in pœnis vivit æternis, mors illa potius æterna dicenda eſt quam vita; nulla quippe major & pejor eſt mors, quam ubi non moritur mors. Idem.

Separari a Deo, hæc eſt tanta pœna, quantus ipſe eſt Deus. Idem.

Hic ure, hic ſeca, modo in æternum parcas. Idem.

Vel mortem time, ſi non times peccatum; non times peccatum, time quo perducit peccatum. Idem, lib. 50. Homil. Homil. 42.

Ut mors eis adſit ad ſupplicium, & deſit ad finem. Idem, lib. 19. de Civit. c. 28.

Numquam viventes, numquam mortui, ſed ſine fine morientes. Idem, l. 13. de Civit. c. 11.

Ubi mors ſemper vivit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit. Idem, lib. de ſpiritu & litt. cap. 56.

Ibi duplex offenditur gehenna, ſcilicet nimii frigoris, & intolerabilis fervoris. Gregorius cap. 8. ſuper Matth.

Licet gehenna una ſit, non tamen cunctos una eademque qualitate diſtinguit; quia quod hic agit valetudo corporum, hoc illic exhibet diſpar cauſa meritorum. Idem, lib. 9. Moral.

Ad diſtricti judicis juſtitiam pertinet, ut numquam careat ſuppliciis, qui numquam in hac vita voluit carere peccato, & nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quandiu valuit, habere noluit terminum criminis. Idem, ibid.

Idcirco peccantibus æternam pœnam minatus eſt Deus, ut eos a peccatorum perpetratione compeſceret. Idem, l. 4. dialog. c. 44.

Ex igne viſibili ardor & dolor inviſibilis trahitur, ut per ignem corporeum, mens incorporea, etiam flamma incorporea crucietur. Ibid. cap. 29.

Tunc edax flamma comburit, quos carnalis delectatio polluit: tunc infinitum inferni baratrum devorat, quos inanis elatio nunc exaltat. Idem, lib. 9. Moral.

Juxta modum culpæ pœna diſtinguitur, & ſecundum modum criminis, unuſquiſque damnatus in inferni igne cruciabitur. Idem, lib. 20. Moral.

Intolerabilis quidem res eſt gehenna, & ſupplicium illud horribile; tamen ſi mille aliquis ponat gehennas, nihil tale quid dicturus eſt, quale eſt a beatæ illius gloriæ honore repelli. Chryſoſt. Homil. 24. in cap. 7. Matth.

Multi inferni ignem timent, ſed ego maxime amaram dico privationem gloriæ; nam qui non novimus magnitudinem cœleſtis boni, non poſſumus intelligere quantum ſit mali illo privari. Idem, Homil. 47. ad Popul. Antioch.

Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt quæ præparaſti Deus offendentibus te. Idem, l. de reparat.

Pone ferrum, ignem, & beſtias, & ſi quid his difficilius; attamen non umbra ſunt ad illa tormenta. Idem, Homil. 49. ad Popul. Antioch.

Nemo eorum qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet; nemo gehennam contemnentium gehennam effugiet. Idem, Hom. 2. in c. 2. Epiſt. 1. ad Theſſal.

Sapiens ille ignis membra urit & reficit, una eademque potentia & cremabit impios & recreabit; quantum abſumet a corporibus, tantum reponet; abſumit ut ſervet, ſervat ut cruciet. Minutius Felix in Octav.

Sicut ignes Æthnæ Montis & Veſuvii & ardentium ubique terrarum flagrant nec erogantur; ita pœnale iſtud incendium non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporum laceratione nutritur. Idem.

Abſumit ut ſervet, ſervat ut cruciet, dabiturque miſeris vita immortalis, & pœna ſervatrix. Caſſiodorus.

Immortales miſeri vivent inter incendia, & inconſumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Cyprianus.

Hæc gehennæ flamma totum hominem complectitur. Joann. Chryſol.

Plus cœlo torquentur quam gehenna. Idem.

In uno igne omnia tormenta ſentiunt. Hieron.

Heu quanta inſania eſt, exigui, & brevi tempore duraturis deliciis æternos emere dolores. Idem.

Ubi putas finem invenit æternitas, ibi incipit. Hilarius.

Si gehennam comminemur, quæ eſt ignis arcani ſubterraneus ad pœnam theſaurus. Tertull. lib. de Anima.

Jugis ignis habens ex natura ſua divinam ſubminiſtrationem incorruptibilitatis. Idem, in Apol.

Non abſumit quod exurit, ſed dum erogat reparat; ſicut manent montes ſemper ardentes, & qui de cœlo tangitur ſalvus eſt, ut nullo jam igni decineraſcat; & hoc erit teſtimonium ignis æterni, hoc exemplum jugis judicii pœnam nutrientes. Idem, ibidem.

Ignis gehennæ lucebit miſeris ad pœnæ augmentum, ut videant unde doleant; & non ad conſolationem, ne videant unde gaudeant. Iſidorus, l. 1. de ſummo bono.

Ignis inquiſitor meritorum. Caſſianus.

Interrogabit oſſa, & medullas, & cogitationes noſtras. Euſebius Emiſſenus.

Væ qui hæc lugenda in poſterum, ridenda nunc putant; væ quibus hæc prius experienda ſunt quam credenda. Idem.

Dum ſibi nullam ſpem promittere poterit (damnatus) *jam etiam in præſenti ſentiet conſequentium tormenta ſæculorum.* Idem, Homil. 3. de Epiphan.

Fit miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu; quia mors ſemper vivit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit. Auguſtin. lib. de ſpiritu & anima. Eadem verba habet Sanctus Gregorius.

Non deſcendit ad inferos ſanguis Chriſti, qui effuſus eſt ſuper terram. Bernardus.

Semper puniri poteſt, quod non poteſt expiari. Idem.

Totus tremo ad memoriam iſtius regionis, concuſſa ſunt omnia oſſa mea. Idem, Serm. de Sancto Nicolao.

Vigilias times & jejunia, ſed hæc levia ſunt meditanti pœnas æternas. Idem, Epiſt. 1.

Deſcendant in infernum viventes, ne videlicet deſcendant morientes. Bernardus ad fratres in monte de Vit. ſolitar.

Optimum eſt nunc ſentiri vermem cum ſuffocari poteſt. Idem, de Conſiderat.

Quid tam pœnale quam ſemper velle, quod nunquam erit, & ſemper nolle quod nuſquam non erit? In æternum non obtinebit quod vult (damnatus) *& quod non vult in æternum nihilominus ſuſtinebit.* Idem, lib. 5. de Conſider. c. 11.

Durante anima durat & memoria, ſed qualis! fœda flagitiis, horrenda facinoribus, vanitate tumida, contemptu hiſpida & neglecta. Idem, ibidem.

Priora tranſierunt, & non tranſierunt; tranſierunt a manu, ſed non a mente: quod factum eſt, factum non eſſe non poteſt; proinde etſi facere in tempore fuit, ſed feciſſe in ſempiternum manet. Idem, ibidem.

Non tranſit cum tempore quod tempore tranſit, in æternum ergo neceſſe eſt cruciet, quod perperam te egiſſe in æternum memineris. Idem, ibid.

Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem; horreo incidere in manum mortis viventis, & vitæ morientis. Idem.

Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. Idem.

Hoc ſolatium vaſti doloris eſt, quod neceſſe eſt deſinas illum ſentire, ſi nimis ſenſeris; nemo enim poteſt valde dolere, & diu. Seneca· Epiſt. 78.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus in hoc argumento hauriri poſſit.

Quid ſit Infernus quatenus æterna reproborum domus. Infernus locus eſt, quem Divina juſtitia deſtinavit rebellibus Angelis, & hominibus, qui poſt patratum lethale ſcelus, quin antea egerint pœnitentiam, ex humanis decedunt, & qui facti objectum odii, atque ultionis Dei, in æternum in Dæmonum ſocietate permanebunt, Dei aſpectu, omnibuſque bonis carentes, ubi ſine ulla intermiſſione, & ſolatio ignis æterni ſupplicio afficientur. Vel brevius, locus eſt in terræ centro Angelis rebellibus, hominibuſque in mortali peccato decedentibus deſtinatus, ubi utrique omni bonorum genere carent, & omni malorum genere excruciantur.

Duplex pœnæ genus in inferno. Quamvis pœnæ, quibus damnati in Inferno torquentur, numero careant, ad duas tamen redigi poſſunt, pœnam videlicet, quam damni, & eam, quam ſenſus vocant Theologi. Damni pœna eſt, in æternum a Dei viſione, quæ unica noſtra felicitas eſt, eſſe projectos; pœna vero ſenſus ea eſt, per quam corpus, omneſque miſerorum ſenſus æternis doloribus afficiuntur. Duplex hæc pœna duplici malo reſpondet, quod peccatum concomitatur, quo-

rum alterum eſt inſolens contemptus, quo peccator a Deo recedit, alterum vero amor inordinatus, quo ad creaturas convertitur. *Averſio a Deo, & converſio ad creaturam*. Ita omnes Theologi cum D. Thoma. Damni pœna, quæ in Dei privatione conſiſtit, reſpicit contemptum ſupremę illius Majeſtatis; æquum eſt enim, ut qui primi Deum reliquerunt, a Deo in æternum relinquantur, numquam adſpectu ejuſdem perfruituri. Pœna ſenſus reſpicit ſenſuum voluptates, quibus impii in creatarum rerum perfruitione gaviſi ſunt; æquum enim eſt, ut ſenſus, qui felicitatem ſuam in rebus Divina lege prohibitis conſtituerunt, pœnas, doloreſque perſolvant pro deliciis, quas peccantes guſtarunt.

Explicatio pœnæ damni.

Cum ex duobus malis, quæ peccatum complectitur; primum, videlicet Dei contemptus, altero ſine ulla comparatione majus ſit; inde ſequitur ſecundum juſtitiæ regulas damni pœnam, quæ hujus mali ſupplicium eſt, præ pœna ſenſus longe majorem eſſe. Ita loquitur Cardinalis Bellarminus *De gemitu Columbæ*, libro ſecundo, capite ſecundo. Pœna damni in eo conſiſtit, quod damnatus longe abeſt ab ultimo fine ſuo, numquam videt eſſentiam Dei, æternum a beata exulat patria, numquam ad cœleſtem hæreditatem adſpirare poteſt, verbo ſemper omni bonorum genere carere debet. Ita reprobus in æternum Dei hoſtis eſt, objectum odii, & ſeveriſſimæ ultionis illius; ideoque Deus quantum fieri poteſt recedit ab illo, atque ut ita dicam, reprobę hujus animę abjicit poſſeſſionem. Nam licet omnia ad Deum pertineant, & nequeat ille abdicare ſupremum, quod in omnia creata obtinet dominium, attamen quædam ſunt, quę ipſe ſua vocat, & quę peculiari jure ad ipſum ſpectant. Ita olim Judæorum populum, populum ſuum, partem, hæreditatemque ſuam appellabat prę reliquis omnibus terrarum nationibus. Nunc autem renunciatione, & prorſus ſingulari abdicatione juris, proprietatis, & dominii, quod obtinebat in animam reprobam, eam repellit rejicit, derelinquit, atque omnia illi aufert ſigna' poſſeſſionis illius, quam ipſe adierat. Illam omni bonorum, ſupernaturaliumque gratiarum, ac titulorum, quibus olim ad Deum pertinebat, genere exuit: *Voca populum hunc, non populus meus*.

In damni pœna mutuum eſt, & irreconciliabile odium Deum inter & animam.

In Dei privatione, quæ damni pœnam conſtituit, odium adeſt mutuum, atque extremum irreconciliabile odium Dei in peccatorem, & peccatoris in Deum; quia Deus creaturam hanc perhorreſcet, & execrabitur: *Diſcedite maledicti*. Quemadmodum enim amoris eſt conjungere, & unire, ita & odii dividere, & ſeparare: *Venite benedicti, Diſcedite maledicti*. Et quemadmodum a Deo amari cauſa eſt bonorum omnium; ita Dei odium meruiſſe fons eſt omnium malorum: quemadmodum amor Dei ſuprema eſt beatitudo, ita odium Dei ſumma calamitas eſt; nihilque majorem nobis terrorem debet incutere, quam æternum hoc divortium, implacabilis hæc inimicitia reciproca, & numquam deſitura.

Providentiæ, & juſtitiæ Dei opus eſt infernus.

Præter fidem, ac Verbum Dei palam adeo totieſque in Sacris Scripturis iteratum, quo docemur adeſſe infernum, ubi, qui in peccati ſtatu moriuntur, debitas ſceleribus ſuis pœnas luunt; ratio quoque hoc debet perſuadere, quandoquidem hæc ipſis etiam perſuaſit Ethnicis inter infidelitatis tenebras cæcutientibus, quibus tamen non defuit tantum luminis, quo veritatem hanc intelligerent. Hoc ſane eſſet Dei Providentiam invalidam, & juſtitiam ejus nullo contra iniquitatem, quam odit neceſſario, ſuccenſam zelo, arbitrari in altera vita nulla conſtituta fuiſſe ſupplicia pro illis, qui impii fuere, & in hac divinas leges perfregere. Cum hæc agendi ratio æquiſſima ſit, & oppoſita minime deceat infinitam ſapientiam, atque potentiam; arguendum eſt, non debuiſſe Deum aliter operari, atque juſtitiæ ipſius intereſſe reparare injuriam ab impiis Divinæ ſuæ illatam Majeſtati, ſupplicio eorum eo in loco luendo, qui ad hanc rem ſit deſtinatus.

D. Thom. de verit. q. 6. art. 3. in corp.

Sanctus Thomas hoc ipſum argumentum aliter affert. Ait enim nihil a generali divinæ Providentiæ fine abhorrere poſſe, licet ens aliquod ſeipſum valeat ſubtrahere peculiari alicui fini, ad quem eſt deſtinatum. Itaque homo, qui naturæ ſuę privilegio habet libertatem, poteſt quidem recedere a peculiari fine, quem de illo habet Deus, ſcilicet a ſalute, ſupremique boni perfruitione; verum nequit recedere a poſtremo, & univerſali fine operum Dei, qui gloria ipſius eſt, propter quam ille fecit omnia; ita ut homo, qui nihil, ad gloriæ illius magnitudinem conferre voluerit iis rationibus, quę ſimul ipſum ad ſupremi boni poſſeſſionem adducere debent, invitus licet, aliquid tamen conferet, ejuſdem juſtitiam expertus, quæ in ſupplicio, quo rebelles, ſonteſque puniendi ſunt, eluceſcet.

Quam juſta ſit pœna peccatoris in inferno.

Supplicium hoc juſtiſſimum eſt: peccator ad Deum pertinebat per creationem, redemptionem, omneſque titulos, qui animo fingi poſſunt; ſed hic ipſe peccator ſe omnino divinæ dominationi ſubtraxit; ſeipſum, ut ita dicam, ſurripuit Deo, ut mundo, ac voluptatibus ſe manciparet: opus eſt ergo, ut inevitabiliter, & abſolute violatus hic ordo reparetur. Miſericordia illum ultra reparare non poteſt; ejus quippe regnum cum tempore finitum eſt; peccator hanc ſibi demereri miſericordiam ſincera pœnitentia non poteſt amplius, illius quippe tempus vita hac eſt circumſcriptum; ideoque peccator cum nequeat amplius ſeſe dedere divinæ bonitati, & miſericordiæ, opus eſt, ut juſtitiæ, & ultioni dedatur.

De gravitate pœnarum inferni.

Doctores omnes docent, inferni ſupplicia, ſine ulla comparatione omnibus ſimul vitę hujus tormentis eſſe graviora; atque citra terrorem legere nequeo, quod Sanctus Auguſtinus ait: pœnas omnes, quas hoc in mundo pati poſſumus, non ſolum leves eſſe, verum etiam nihilum, ubi comparentur cum igne æterno; nulla quippe inter hæc duo malorum genera proportio invenitur. Dicunt alii, minimum tormentorum inferni gravius eſſe, quam omnia ſimul exquiſitiſſima tormenta, quæ excogitari poſſunt in terris. Hoc ipſum Sancti Patres ſentiunt, ac Theologi unanimi conſlatoque conſenſu poſt Divum Thomam hanc doctrinam tuentur, in qua nulla exagerationis oboriri poteſt ſuſpicio; etenim rationes eædem, quę infernum eſſe probant, Dei videlicet gloria, quæ reparanda eſt, & peccati gravitas punienda, palam hanc ipſam probant gravitatem ſupplicii, quod peccatoris nequitiæ debetur.

Deus æque juſtus eſt, ac miſericors.

Hæreſis eſt Deo contumelioſa, & blaſphemia ex Marcionis ore, ut Tertullianus teſtatur, egreſſa, Deum non æſtimandum, neque agnoſcendum eſſe niſi ex bonitate, qua omnia complectitur, quin aliquid juſtitiæ illius relinquatur. Ad errorem hunc diluendum ſatis eſt cum Tertulliano eodem reſpondere, Deum irrationabilem fieri, eique ſapientiæ, & æquitatis gloriam auferri ab eo, qui illi tribuere velit bonitatem ab ea ſeveritate ſejunctam, quæ illum impiis terribilem facit. Cum juſtitia ſit virtus æque, ac miſericordia, utraque eſſe debet in Deo, & quælibet objectum ſuum debet habere. Rationi quippe conforme eſt, ut pœna crimen ſequatur. Solum naturæ lumen hanc homines docet veritatem; politico huic innititur principio, & univerſorum ordinem everteret, qui illud vellet deſtruere; ideoque etiam ſi in reproborum ſupplicio Dei gloria non quæreretur, opus eſſet, ut juſtitia æquitati ſatisfactura, atque ſecundum peccati demeritum operatura, in inferno ignes ad noxios puniendos excitaret. Ob hanc rationem Salvianus ait, malum puniendum eſſe, ut in ordinem redigatur; & Sanctus Auguſtinus affirmat hoc in ſe optimum eſſe, & in natura optatiſſimum; licet unice naturæ bonum, & univerſorum ordinem intueremur, quin Dei conſilia ſcrutari vellemus.

Dei odium, quo reprobos perſequetur, efficiet, ut hi graviſſimas pœnas patiantur.

Quantumcumque ingenium noſtrum acuere velimus, quibuſcumque argumentationibus utamur, fateri tenemur, odium, quo Deus æternum creaturam perſequetur, quam ex hac mortali vita egredientem peccatis coinquinatam invenerit, quæ non poterit amplius per pœnitentiam expiare, ſemper tribus circumſtantiis conjunctum iri, vel ſi mavis, tres ſemper habiturum effectus adeo terribiles, ut in ſe complectantur quidquid in inferno magis horribile eſt, ac formidandum. Quemadmodum enim Deus poteſt omnia, & nihil prohibere illum poteſt, ne potentiam ſuam in ultione perſequenda exerceat; ideo cum ferre nequeat reprobum, qui eidem objectum eſt averſionis, & odii, ſequitur, ut eum in æternum a ſuo amoveat adſpectu, illum ſemper perſequatur, eique omnia inferat mala, quæ pati poterit, ac tandem univerſas armet creaturas, eaſque in partes ſuas concedere cogat, ad inſignem de calamitoſiſſimo hoc homine ultionem ſumendam. Hos ſenſus odium inſpirat, & quicumque inimicum, a quo laceſſitus fuit, mortali odio perſequitur, experientia doctus ſcit, ſe hoc pacto acturum eſſe, ſi in ſua poteſtate hoc eſſet poſitum, nullumque inveniret obicem, qui votis ſuis adverſaretur.

In Inferno ignis realis & verus eſt. *D. Thom. 3. p. q. 97. art. 5.*

Conſtans eſt in inferno realem, verumque ignem eſſe, quem S. Thomas corporeum vocat: quotieſcumque enim Scriptura loquitur de pœnis, quas reprobi in triſti eo loco patiuntur, ſemper ignem memorat, ſemper ignem minitatur, tamquam acerrimum divinæ juſtitiæ inſtrumentum. In ea ſententia, quam ſupremus Judex poſt ſæculorum finem contra hos miſeros laturus eſt, ignis pœna palam exprimitur: *Ite maledicti in ignem æternum*; & alibi, *vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*: Unde patet, ignem hunc verum eſſe. Cum enim aliquid metaphorice dicitur, non ſemper iiſdem vocibus indigitatur, quæ regula eſt a Sanctis Patribus tradita, ut ſciamus, quandonam Scriptura ſit ad litteram intelligenda. Ad hęc conſtat, animas, æque ac corpora æternum in igne conflagratura; quapropter Judicis ſententia hæc habet: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus*. Si enim hic ignis agere poteſt in dæmones, qui ſunt ſpirituales ſubſtantiæ, non minus aget in animas corporibus, ſenſibuſque expeditas.

Matth. 25.

Ignis non agit ſolum in animas illas captivas detinens.

Sancti Auguſtinus, & Gregorius Magnus eos condemnant Auctores, qui dixere, reprobarum animarum in inferno ſupplicium conſiſtere ſolum in hoc, quod tamquam in carcere, in hoc igne detinentur, cujus inſeparabilis adſpectus illos torquebat, ac ſignum erat iræ Dei. Falluntur iſti, duo illa doctiſſima Eccleſiæ lumina inquiunt, & hæc opinio ſatis non eſt ad exprimendam ignis in animas a corporibus ſeparatas actionem. *Non tantum videndo, ſed experiendo torquentur*; igne in illis eamdem impreſſionem efficiente, quam noſipſi experimur, cum incendimur. At enim objicis, opus eſſe ut inter agentem, ac ſubjectum aliqua proportio inveniatur; nullam vero inveniri inter ignem materialem, ac ſpiritualem animam; ideoque inter utrumque nullam eſſe poſſe phyſicam actionem, nullumque effectivum tormentum. Reſpondemus, non eſſe quidem integram proportionem animam inter, & ignem; eſſe tamen inchoatam, & ut ita dicam radicalem. Hominis anima ſenſitiva eſt, ideoque in ſe principium habet ſentiendi, exempli gratia tangendi, per quod ignis ardore, atque activitate affici poteſt; & quamvis anima a corpore ſeparata naturaliter ſenſum hunc exercere non poſſit, poſſe tamen ſupernaturaliter. Et ſane liquido conſtat, animam corpore indutam ignis impreſſionem recipere poſſe; anima enim, non corpus dolorem percipit, uti liquet, quia cum anima impenſius alicujus objecti ſpeculationi vacat, nihil videtur, ſentitur nihil. Itaque anima dolorem ſentit, recipitque, cum corporis membra comburuntur, quemadmodum, per oculos anima videt, per aures audit anima. Quamvis autem oculus, auriſque neceſſaria naturaliter ſint ad videndum, audiendumque organa; Deus tamen corporis defectui ſupplere poteſt, & efficere, ut anima ignis ſentiat actionem.

Quomodo Deus elevet ignem, ut in animas a corporibus ſejunctas agat.

Ut hoc apertius cum Theologis explicemus, dicendum eſt, animæ tormentum per ignem bifariam fieri. Primum Deus illi præparat animam extendens illius patiendi potentiam. Secundo attollit ignem, omnipotentia ſua illius augens agendi virtutem, eumque parem faciens ſpiritibus dolorem inferendo. Hi profecto duo modi ſunt admirabiles, Sanctus Auguſtinus ait, ſed veri ſunt: *Miris, ſed veris modis*. Ignis igitur Divina virtute ſupra naturam ſuam elevatur, ut in animas agens ſit earum cruciatus, atque ſupplicium. Hoc innuere vult Spiritus Sanctus, cum ait, hunc ignem quatenus creaturam, Creatoris ſui nutibus, & imperiis ſervientem potenter contra peccatores a ſe puniendos irritari, atque inflammari: *Creatura enim tibi factori deſerviens exardeſcit in tormentum adverſus injuſtos*. Si nobis perſuaſum eſt de magnitudine Dei, Sanctus Auguſtinus inquit in hoc argumentum, credere tenemur, voluntatem ejus eſſe rei uniuſcujuſque naturam: *Tanti quippe Creatoris voluntas, cujuſcumque rei natura eſt*. Quemadmodum igitur creaturæ non ſunt niſi quod illas eſſe Deus voluit, ita non faciunt, niſi quod ab ipſis fieri ille jubet; neque ullum magis proprium habent ſtudium, quam id faciendi, quodcumque Creator imperaverit. Ignis contra naturam ſuam deſcendit, & refrigerat, Deo præcipiente; & Deus, ubi voluerit, illum ſupra naturam ejus attollit, ut ſit miſerorum ſupplicium.

Sap. c. 16.

Ignis præterquamquod reprobos in Inferno urit, illos captivat, eiſque aufert libertatem.

Non ſolus eſt ignis effectus damnatorum corpora, animaſque comburere; alter quoque adeſt, ſævum illis ſupplicium afferens, videlicet illos in inferno clauſos detinere, eiſque libertatem adimere. Ideo Scriptura inquit, Deum facturum, ut ſuper eos catenis, igneiſque vinculis pluat, *Pluet ſuper peccatores laqueos*. Ubi animadvertendum eſt nobis duplex eſſe libertatis genus, alterum quidem exterius, alterum vero interius. Exterior libertas, quæ eſt libertas motus, nobis confert poteſtatem eundi quo lubet. Libertas interior in quadam noſtræ voluntatis, cogitationum, ſenſuumque noſtrorum diſpoſitione conſiſtit. Ignis autem inferni, quatenus vinculum eſt damnato duplicem hanc eripit libertatem, qua olim abuſus eſt. 1. Motus illius frænat, eumque in eodem loco vinctum detinet; quod nobis exhibet Dei Filius in Evangelio, cum ait. *Ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores*. 2. Hæ igneæ catenæ non exteriorem tantum damnatis libertatem eripiunt, verum etiam interiorem, quæ reſidet in voluntate, atque in damnati intellectum, & voluntatem extenditur. Eſt plurimorum Theologorum ſententia non poſtremum inter hujus ignis ſupplicia in hoc poſitum eſſe, quod illum attollat Deus, ut ultionis ſuæ ſignum ſit immortale. Ignis iſte damnato ſemper oſtendet Deum irritatum in ipſum, atque, ut Cardinalis Cajetanus inquit, ſpiritum ejus in hoc objecto remorabitur, figetque cogitatione ſemper actuali, neceſſaria, & invariabili. Illius voluntatem captivabit, illum cogens, ut inceſſanter ſuam calamitatem, ſuumque æternum execretur excidium, quod hic ignis illi ad vivum exhibebit: *Detinebitur intellectus ad conſiderandum, & voluntas ad deteſtandum*.

Matth. 22.

Varii modi, quibus Theologi explicant, quomodo animæ per ignem torquentur.

Theologi explicare conantur, quomodo ignis inferni, qui materialis eſt, agere poſſit in dæmones, animaſque a corporibus ſeparatas. Nonnulli, ut facilius ſententiam ſuam explicarent, dixere, ignem hunc metaphoricum eſſe, vel alterius ſpeciei ab igne noſtro; ideoque mirum non eſſe ſi in animam æque ac corpus ſæviret. Alii quidam illum noſtrati ſimilem crediderunt, ſed adjecerunt, illum non torquere per ſe animas reproborum; ſed illum ante damnatorum oculos videri, tamquam irreprehenſibilem nequitiæ ipſorum teſtem; eorumque ſupplicium in hoc ſitum eſſe, quod illum per omnem æternitatem intueri tenerentur. Dixerunt alii, ignem ob hoc animas excruciare, quod invitæ illi adhærere coguntur, atque hujus ſupplicii ſeveritatem inde proficiſci, quod vi illas detinet. Verum hæ parva eſt pœna reis læſæ divini Numinis majeſtatis, pati ſolum ſuæ libertatis jacturam, vel ſolo ſupplicii ſui adſpectu, ſolave ſcelerum ſuorum conſideratione torqueri. Dicamus potius cum Sancto Gregorio Magno, eaque eſt probatior Theologorum ſententia, damnati animam præpter has omnes pœnas, reipſa ſentire flammas, ſibi, data paritate, imprimentes eoſdem dolores, quos ipſi experimur, ubi nobis ignis admovetur: *Ex igne viſibili ardor, ac dolor inviſibilis trahitur, ut per ignem corporeum, mens incorporea, etiam incorporea flamma crucietur*. Ex hac opinione, quæ ſolidiſſima, & veriſſima eſſe videtur, ſequitur: 1. Ignem virtute divina elevatum eſſe ad producendam in anima ſpiritualem qualitatem, quæ efficit, ut illa patiatur; cum aliter exprimi nequeat rei materialis in ſpiritualem ſubſtantiam impreſſio. 2. Deum ad hoc animam præparare extendendo illius patiendi potentiam; & ad utrumque explicandum Theologi utuntur nomine potentiæ obedientialis, quæ ignis habita ratione activa eſt, ratione vero animæ patientis paſſiva. Hæc ea ſunt, quæ in hoc argumento, æquiora poſſunt afferri.

Lib. 4. Dial. c. 29.

Quid ſit vermis, quo damnati æternum torquebuntur. *De Civit. l. 21 c. 11.*

Verum eſt, Sanctum Auguſtinum dicere, per eum vermem, de quo in Evangelio, ac per eos ſerpentes, de quibus alibi ſermo eſt, non immerito intelligi poſſe vermes, ſerpenteſque vero, qui ut damnati, vivent in igne; ideoque non inanem eſſe meditationem putare in eo ſulphuris ſtagno non defuturos vermes, atque ſerpentes, qui reproborum membra diſcerpent, eiſque dolores afferent ſceleribus illorum pares. Verum idem ſanctus Doctor magis probare videtur, per vermem hunc, qui non moritur, intelligendum eſſe conſcientiæ ſtimulum, quo damnati ſæviſſime, & in æternum cruciabuntur.

De applicatione animæ ſupplicio ſuo in inferno.

Liquido conſtat, dolorem, quem parit ignis, non eſſe ſimplicem ignis in corpus actionem, ſed animæ huic motui applicationem. Si hæc omnino non adverteret animus, nihil omnino pateretur, & eo majore afficitur dolore, quo impenſius eidem attendit. Certum autem eſt animæ in hac vita applicationem ſemper mancam, ac infirmam eſſe, propter organa corporis, a quibus pendet, quæ cum ſint infirma, & exilia, actione nimis violenta deſtruuntur. Sed cum in altera vita coporis organa incorruptibilia futura ſint, anima cum tota naturæ

ſuæ

ſuæ activitate ſeſe illis applicabit objectis, quæ ſummum illis afferent dolorem.

Rationes quibus probatur Dei providentia, qua pœnarum æternitatem reprobis præparavit.

Ad rationem noſtram evincendam, omneſque illius dubitationes de æternis damnatorum ſuppliciis auferendam, ſatis eſſet dicere hunc eſſe articulum fidei, atque ita juſſiſſe Deum; cujus voluntas ſumma nobis ratio eſſe debet. Ille noſter Dominus eſt; ipſe jus habet in noſtram æternitatem æque ac in tempus noſtrum, ut de utroque ad majorem nominis ſui gloriam diſponere poſſit: *Lex non diſputat, ſed præcipit*, neque eorum, quæ præcipit, rationem præbere tenetur. Attamen cum mens noſtra ægre hanc Dei ſeveritatem ferat, qua ſuppliciorum æternitate punit peccatum, momenti unius ſpatio patratum, nonnullas afferemus rationes, ex quibus patet, quam æquum fuerit Deum hoc pacto diſponere.

Ratio prima.

Prima ratio huic innititur principio. Cum Deus leges irrogare vellet ad hominum mores regendos, neceſſe erat, ut pœnas proponeret, quæ eorum libertatem in officio contineret, eoſque a crimine deterreret. At nullæ erant pœnæ, quæ ſatis eſſent hominum libertati compeſcendæ, ac prohibendo, ne latæ leges infringerentur, niſi æternæ fuiſſent. Et ſane quam parum afficimur æternitate infinitæ beatitudinis, quam nobis Deus pollicetur! Cogitatio divinæ bonitatis, & beneficiorum ejus non magnam obtinet vim in plerorumque ſpiritum, quia illius Crux, paſſiones, & mors non ſatis validæ ſunt ad cor hominum trahendum, eoſque omnino vicendos. Reliquus igitur dumtaxat eſt æterni ſupplicii metus; nam ſicut immortalem habent animam, & aliud quodvis bonum præter æternam felicitatem illos beatos efficere nequit, ita quodvis ſupplicium minime par infinitæ eorum durationi nonniſi leviter illos affeciſſet, neque ſceleribus eorum frænum injicere potuiſſet.

Ratio ſecunda deſumpta ex natura peccati deſtruentis gratiam.

Ratio altera deſumpta eſt ex Divo Thoma docente, quodvis malum ſuapte natura irreparabile, malum eſſe æternum; at malum peccatoris in peccato mortui eſt irreparabile, mirum igitur eſſe non debet, ſi æternum eſt: Magnum autem peccatoris malum eſt ſaparatio a Deo; eſt deſtructio gratiæ ſanctificantis, quę erat vitæ ejuſdem ſupernaturalis principium. Peccator ultro receſſit a Deo, inordinato erga ſeipſum amore æternæ beatitudini abrenunciavit; volens, & ſciens nequiter deſtruxit gratiam ſanctificantem, quæ omnium ſupernaturalium bonorum radix erat, atque principium. Nunc poſt mortem eo in ſtatu reperitur, in quo ad Deum nequit ultra reverti; cum ſit extra viam, ut loquuntur ſcholę, veræ converſionis capax non eſt. Exempli gratia quicumque ultro ſibi mortem conſciſcit, oſtendit, ſe velle in omnem æternitatem omnibus vitæ hujus bonis carere, ac de ſe uno tantum conqueri poteſt: *Factus eſt malo dignus æterno, qui peremit in ſe bonum, quod eſſe poſſet æternum*, Sanctus Auguſtinus ait.

Ratio tertia, ex peccati gravitate lædentis Deum, qui infinitus eſt.

Juſtitiæ Divinæ interfuit pœnas peccati nequitiæ pares pręſcribere, & congruas dignitati illius, qui per contemptum læſus eſt; ut ablata eidem gloria reparetur. At peccatoris nequitia peccatum patravit in ſeipſo infinitum; opus eſt igitur, pœnam eſſe infinitam. Cum autem homo per ſe finitus ſit, pati nequit eos cruciatus, quorum vis, atque acerbitas ſit infinita; opus ergo eſt, ipſum pati tormenta in ſua duratione infinita, & æternitatis extenſione ſuppleri intenſioni cruciatuum. Contempſit ille amorem Dei ſui, opus eſt, ipſum æternum pati odium ejuſdem. Ita cum pro unius peccati momento præcipit Deus ſuppliciorum ęternitatem, eadem utitur menſura, qua cum illo uſus eſt peccator. Quemadmodum enim peccator Deum menſus eſt momento voluptatis, ita Deus hominem pœnarum æternitate metitur.

Ratio quarta deſumpta ex peccatoris voluntate, quæ quodammodo eſt æterna.

Homo in peccato moriens, peccatum illud in ęternum committere velle cenſetur, duobus modis. Primum, quia in peccati voluptate ęternam habuit voluntatem; optavit in ęternum vitam producere, ut ęternum in peccato ſuo poſſet volutari; ita opus eſt, ut hęc voluntatis ęternitas pari ſuppliciorum ęternitate puniatur: *Ut quia æternam voluit habere peccati perfruitionem, æternam vindictæ inveniat ſeveritatem*. (Aug. Epiſt. 49. ad Deog.) Secundo, quia qui in peccato moritur, quin illud per pœnitentiam expiaverit, diſpoſitionem habet habitualem, & permanentem in æternum in peccato ſuo perſiſtendi, ſi æternum viveret: *qui enim impœnitens moritur, ſi ſemper viveret, ſemper peccaret*. Si moritur, quin egerit pœnitentiam, habet voluntatem hanc interpretativam, ac tacitam ęternum in peccato ſuo permanendi, & cum hac diſpoſitione ad Dei tribunal accedit, unde Sanctus Gregorius concludit, Divinæ interfuiſſe juſtitię, ut qui nullum peccato ſuo finem voluit ſtatuere, nullum ſupplicii ſui finem inveniat. (Greg. 4. Dial. c. 44.)

Ratio quinta ex legibus ſumpta, quæ reum capite plectentes criminis ejuſdem diuturnitatem non ſpectant,

Communis eſt omnium populorum ſententia, Principes, quibus ſupremum jus eſt in ſubditos ſuos, ferre poſſe leges bono principatus ſui convenientes, ac ſimul pœnas ſtatuere, quibus fractores earum coerceantur. In hoc autem ordine politico pœna minime aptatur ſceleris, quo lex infringitur, diuturnitati, ſed perniciofis effectibus, & damnis, quę ex legis perfractione poſſunt oriri. Laqueo ſuſpenditur fur pro furto, quod celeri manuum motu factum eſt; & homicida interficitur propter cędem ictu oculi illatam. Attamen mors quędam eſt ſpecies ęternitatis; natura enim nullum habet remedium; & judices extremo ſupplicio damnantes, non cogitant utrum damnatus aliquando ſit reſuſcitaturus. Hinc patet, juſtitiam humanam ſibi vendicare poteſtatem puniendi privatos ęterna pœna pro reipublicę otio, & tranquillitate. Cur igitur Deus, qui per eſſentię ſuę neceſſitatem, omniaque jura, quę excogitari poſſunt, ſupremus eſt omnium hominum Imperator, non poſſit leges ferre; atque ęternas infligere pœnas, ut ſubditos ſuos ad earum obſervantiam impellat? Hęc eſt Sancti Auguſtini argumentatio.

Sexta ratio deſumpta ex jure, quo omnes tueri ſe poſſunt adverſus opprimentes.

Nihil in jure naturali probatius eſt, quam juſta defenſio ad vim injuſti aggreſſoris propulſandam. Licet abyſſos ſtatuerem inter me, & inimicum meum, prohibiturus, ne ille mihi officeret, ac damnum inferret, quis inſimulare me poſſet? pręſertim vero ſi illum admonerem, ne me perſequi auderet, & ille mihi vim illaturus non poſſet accedere, quin præceps in abyſſos haſce decideret: poſt hęc ſi rabię actus inimicus interiret, ac in pręceps laberetur, quid mirum tibi videretur ejuſne furor, atque temeritas, an mea juſta defenſio? Verum ſi mortalis homo hoc facere poteſt, ut ſe ipſum ab injuria tueatur, quid non liceat Deo hominum contumelias propulſaturo?

Ratio ſeptima deſumpta ex iis, quæ Dei Filius paſſus eſt, ut nos ab inferni pœnis eriperet.

At cur alibi ęternitatis hujus probationes inquirimus? Ipſe Dei Filius qui hanc nobis minitatur potiſſimam probationem ſuppeditat. Ille factus eſt homo, ut peccata noſtra deleret; ipſe pro nobis crucem aſcendit: ipſe mortuus eſt, ut a terribilibus hiſce pœnis nos liberaret. Dicendum eſt igitur, eas ęternas eſſe juxta Sancti Bernardi argumentum: *Si non fuiſſent ad mortem, & ad mortem ſempiternam, numquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur*. Si peccatum fuiſſet malum finitum, & Infernus finitas tantummodo pęnas habuiſſet ad nos puniendos; & non oportuiſſet, ut ad illas delendas Deus totum effunderet ſanguinem.

Reſpondetur objicienti peccatorem non cognoviſſe infinitam Dei magnitudinem, cum peccaret.

Ex eo, quod Theologi docent, cum Deus infinitus ſit magnitudine ſua, inde ſequi, peccatorem, a quo ille graviter læſus eſt, pœna quodammodo infinita puniendum eſſe; nullam vero niſi in duratione ſua infinitam eſſe poſſe pœnam; objiciendi locum arripere poſſet peccator, ſe hanc Dei infinitatem non comprehendere; cognitionem ſuam finitam eſſe, atque peccatum cognitioni ſuæ reſpondere. Futilis eſt hæc objectio. Miſer, qui Regi ſuo contumeliam inferret, nonne lęſę Majeſtatis reus eſſet, licet Principis hujus ſapientiam, fortitudinem, virtuteſque alias ignoraret? Regem ſuum convicio laceſſit; humana juſtitia nihil ulterius expoſceret, ut ſeveriſſimis ſuppliciis in illum animadverteret. Peccator offendit Deum & perfectionibus, & magnitudine infinitum: hoc ſatis eſt, ut mereatur ſupplicium, quod aliquam habeat cum Deo lęſo paritatem, quod ſi ęternum non eſſet, liquet, illi hanc defuturam paritatem, quia in ſeipſo finitum eſſet.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, Recentioribuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Magnitudo pœnarum in inferno generatim.

QUod Sanctus Paulus dicebat olim de Cœli deliciis, quas neque oculus viderat, neque auris audiverat, neque in cor hominis aſcenderant, hoc ipſum jure dicere poſſumus de reproborum in Inferno ſuppliciis; videlicet tantos eſſe eorum gemitus, quęſtus adeo flebiles, clamores adeo terribiles, horribileſque, ut merito exclamare poſſimus, neque oculus vidit, nequ auris audivit, neque in hominis cor aſcenderunt. Miſeri illi indeſinenter gemunt, Sanctus Cyrillus ait, & nemo illorum miſeretur; de imo inferni clamores emittunt, at nemo tangitur; millies in die deſperatione rapiuntur, & nemo illis opem ferre conatur; quem ſtatum Sanctus Job unico expreſſit verbo: *ſempiternus horror. Drexellius in Tabula juſtitiæ divinæ.*

Memoria præteritæ felicitatis damnatorum pœna.

Si malorum omnium maximum, Boetio teſte, eſt præteritæ felicitatis meminiſſe; graviſſimus ſane damnatorum dolor eſt, in horribili carcere contineri, & in malorum omnium abyſſum præcipites datos eſſe, cum poſſent una cum beatis Cœli gloria frui. Veluti cum Sedecias Victoris imperio de regio deturbatus ſolio in obſcurum carcerem detruſus fuit, atque damnatus, ut poſt theſaurorum, natorumque ſuorum jacturam, oculos etiam amitteret; Quæ ſuſpiria in Cœlum ſuſtulit? Cum ſuperbus Aman, poſtquam diu Regis Aſſueri gratia gaviſus eſt, atque eo dignitatis evectus, ut nemini honore, opibus, ac potentia in florentiſſimo ſecundus eſſet imperio, ſe damnatum intellexit, ut de cruce ſuſpenſus animam efflaret, ſe, qui pati æquo non poterat animo, ut omnibus ſibi prætereunti aſſurgentibus, unus tantum ignotus hoſpes ſalutem ſibi dicere detrectaret: quinam fuere ſenſus ambitioſi hujus hominis mire adeo humiliati? Quinam ſenſus Antiochi, qui terræ, marique imperare videbatur, cum horribili percuſſus morbo ſeipſum ab omnibus derelictum, ſibique metipſi gravem intellexit? Memoria ſtatus illius, in quo ante floruerat, mœrorem, doloremque ipſius augebat, eumque dupliciter miſerum efficiebat. *Idem.*

Damnatorum dolor, quod Dei carent adſpectu.

Inexplicabilis dolor eſt, atque ineffabilis triſtitia, ſeipſum per ſcelus ſuum, atque in æternum Dei adſpectu, & poſſeſſione privatum videre. Heu! hæc memoria cor laniat, & indeſinenter excruciat. O me miſerum! inceſſanter damnatus exclamat, poteram, ſi voluiſſem æterna in cœlis gloria frui; mihi non deerant gratiæ, pro Paradiſo creatus eram; at illum nolui, & nunc Deum meum amiſi, amiſi illum in omnem æternitatem, ſupremam beatitudinem meam, unicum objectum, quod felicitatem meam poterat conſtituere, & quod ulterius minime acquiram. Querela, quam olim in Deum edidit impius Cain, levis erat imago illius, in quam erumpent damnati. Hodie, ajebat ille, te mihi abſcondis, & ſuper faciem terræ a te procul me ejicis. Hei mihi! quo concedam? Ille tamen infelix poterat adhuc gratiam acquirere; Sed damnati procul a Deo exterminati ſunt, in terræ centrum relegati, non amplius hujus Solis ſplendorem, neque adorabilis hujus faciei gloriam intuituri. *Idem.*

Inutilis damnatorum in inferno pœnitentia. Job 29

Nequicquam miſeri illi ſuſpiria, & ejulatus emittent, repetentque ea Jobi verba: *Quis mihi det, ut ſim juxta menſes priſtinos?* Quis nos priſtinis annis reſtituet, cum opobalſamo nos inungere, & abluere poteramus; cum mundi Salvator affluenter miſericordię ſuę oleum, pretioſique ſanguinis ſui effundebat unguentum? Heu! modo ne una quidem gutta ſtillat ſuper nos; fons nobis exhauſtus eſt; rivi gratiæ, & cœleſtium favorum exſiccati ſunt; Agni ſanguis fruſtra pro nobis effuſus eſt; mors, & paſſio illius nobis nihilum proſunt: tot impenſę, tot labores nobis inutiles ſunt; eorum participes ultra eſſe non poſſumus; tempus, quo ex illis uberrimum fructum percipere poteramus, elapſum eſt; jam actum eſt; tempus illud non revertetur amplius. Hæc illa crudelis eſt cogitatio, quæ in æternum damnatorum corda diſcruciat; eo quod cum potuerint levi labore illud evitare malum, quo opprimuntur, & cœlum mereri, hoc non fecerunt; eo quod gratiam Dei, quæ ſexcenties ſeſe illis obtulerat, contempſerunt; eo quod cum non defuerint ſibi tot tantaque ſalutis ſuę operandę adminicula, ea contempſerunt. Hæc eſt cauſa eorum mœroris, atque deſperationis. *Idem.*

Pœna damni eſt Dei privatio.

Deus damnatum a ſe removebit, eumque in æternum a ſuo conſpectu projiciet; hoc eſt, quamvis infelix anima ſeſe tunc omni rapi ſtudio ſentiet, ut Supremo huic Enti cognoſcendo, atque amando vacet, non enim ignorare poterit amplius, quod hic eſſe deberet ſuus finis extremus, & unica requies ſua; illam ſuaviſſimo hoc adſpectu privabit, eamque replebit ideis, quæ ipſam in contrarios motus determinabunt. Itaque tantum aberit, quod in omni æternitate divinam hanc intueatur eſſentiam, & videat quam amabilis, perfectuſque ſit Deus, tantum aberit, quod divino hoc incendatur igni, quo Seraphim in beata glorię ſede flagrant; ut non aliter ſupremum hoc Ens agnoſcat, quam per tormenta ſua, quę ipſum illi exhibebunt tamquam Judicem ſeverum, inexorabilem, irritatum, ac ultionem tantummodo anhelantem. Illa rabie, quę explicari non poteſt, acta ipſum execrabitur. Fateor equidem; ignotam linguam loquor; etenim ad intelligendam ejus ſupplicii ſeveritatem, quam triſtis hęc ſeparatio gignit, opus eſſet, ut in mea poſitum eſſet facultate efficere, ut ſenſu veſtro cognoſceretis quodnam ſit deſiderium, ardor, ſollicitudo animę corporis ſui pondere liberatę, ut Creatorem ſuum cognoſcat, & diligat. Noſtis, quænam in hoc argumento adhiberi conſueverint ſimilitudines: Sagitta in metam ſuam tendens, accipiter irruens in prædam; ignis ad ſuam ſphæram aſcendens; lapis ad centrum ſuo niſu deſcendens, ſignificant quidem ſtudium, quo hæc ad ſuum finem feruntur; ſed cum anima ſit ſpiritualis, hoc ſtudium, hæc inclinatio alterius eſt ordinis, ac naturæ. In anima enim poſt vitam hanc agnoſcente Creatorem ſuum, eſſe ſupremum bonum ſuum, & ſe extra ipſum phantaſmata dumtaxat umbraſque conſectari; inſtinctus hic, quem habet, ſi hoc pacto loqui fas eſt, ſopitus, atque mortalis hujus vitæ ſpatio ſuſpenſus, repente excitabitur; nullumque inveniens obicem, quo prohibeatur, illa naturalem impetum ſequetur; itaut imperioſa hac vi verſus hoc divinum objectum trahatur. Verum enim vero omnes conatus erunt inutiles; agitabimini, ac voſmet ejaculabimini; ſed fruſtra: Deus enim inviſibili manu vos propulſabit, & recedet a vobis. Neceſſario felices eſſe cupietis, at felices eſſe non poſſe citra adſpectum Entis ſupremi, quod ſe inviſibile præbet, & fugit; quam horrendum ſupplicium! Quiſnam illud poſſet explicare? *Ex manuſcripto Sermone P. Stephani Chamillard.*

Alia idea, & deſcriptio pœnæ damni.

Ut aliquam animo concipiatis ideam ſeparationis adeo crudelis, mementote ſolum eos conatus, quos ipſa exerere elementa vidiſtis, cum detinentur, ne ad ſuum naturale bonum feſtinent, licet illud minime norint. Modicus ventus in terrę viſceribus clauſus montes evertit, rupes explodit, mundi concutit fundamenta. Quem rumorem edit exigua flamma in nube clauſa? Frangit, & conterit, quidquid illi reſiſtit: volvitur, & murmurat ſuper caput noſtrum, efficitque, ut natura ipſa contremiſcat. Quænam igitur erit vis animæ, quæ tanto impetu erga Deum ſuum rapta, & ſciens, quam bonum ſit illi adhærere, ſeipſam ſemotam, ſeparatamque a ſuprema ſua felicitate videbit? Qui dicit ſeparationem, dicit dolorem; & voſipſi noſtis, quo major eſt propenſio; eo graviorem, ſævioremque eſſe ſeparationem. At quodnam ſtudium potentius eſt, quam quo anima fertur in Deum? Non ſolum in illum totis viribus, tamquam finem ſuum tendit; ſed Deus etiam, quatenus Deus, illam ad ſe tamquam magnes, attrahit, ideoque auget vim motus, quo ipſa tendit in illum. Scio equidem futurum ut anima reprobata, & in peccato ſuo obfirmata ipſa velit recedere a Deo; Scio, futurum ut Deus non ferendam hujus animæ videns deformitatem, illam rejiciat tamquam indignam, quæ ad ipſum accedat; verum animadvertite; ipſa horum motuum oppoſitione peccatori ſeparationem hanc magis terribilem effectum iri. Simul Deus, tamquam rerum omnium finis reprobam animam ad ſe trahet, & ſimul tamquam ejuſdem nequitiæ inimiciſſimus illam repellet: eodem temporis momento, quo reproba anima feretur in Deum, tamquam bonum ſuum naturale; eodem ejus voluntas corrupta ab eo tamquam perſecutore recedet. Neceſſario ad Deum ferri, neceſſario a Deo recedere, quod ſupplicii genus eſt duobus adeo violentis, oppoſitiſque motibus ſimul agitari? Sed quo crudelior erit hæc ſeparatio, eo minus cognoſci poteſt. *Eſſais de Sermons pour l'Avvent.*

Rationes, quas Chriſtianus habet cum Deo a quo ſeparatus eſt in inferno.

Dæmones non alium fere cum Deo nexum habebant, niſi creationis; ſaltem, ſe illis non conjunxerat, & uti videtur, a ſe illos non rejecerat, niſi eo pacto, quo figulus ea abjicit vaſa, quæ formam amiſere. Sed Chriſtianus qui præter creationis rationem ad Deum propter Incarnationem quoque, & Redemptionem pertinet: Chriſtianus, cujus anima Jeſu Chriſto conjuncta eſt per mortem ipſius, per ſanguinem, Sacramenta, gratias, innumera beneficia, nonne multo majorem dolorem quam dæmon ipſe paſſurus eſt, cum hęc omnia vincula perfringentur? Et ſine horrore cogitare ſolum poſſumus ſeveriſſimam illam declarationem, cum Deus omnibus Domini, Regis, Paſtoriſque nominibus abdicatis, illos populum ſuum non amplius eſſe profitebitur? *Voca nomen ejus, non populus meus*. Oſe 1. *Ibidem.*